Episc. Cracov.

Biegaczewicz Adalb. Joan. Cant. Via aquilae super coronatos Vavelli montes.

V I A
A Q U I L Æ,

Super Coronatos Vavelli Montes;

Multifariam
R E G I A.

dum

CELSISSIMVS PRINCEPS

ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS & REVE-
RENDISSIMUS DOMINUS

D. CAJETANUS,
S O Ł T Y K,

EPISCOPUS Cracovienſis, DUX Severiæ,
Eques Aquilæ Albæ,
UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,
Cancellarius Faventiſſimus
Suam Cathedram
ſummâ omnium lætitiâ ingrederetur;
è Voto & Plauſu Univerſitatis Cracovienſis,
officioſiſſimô calamô

M. ADALBERTI JOANNIS CANTII,
B I E G A C Z E W I C,
Sacræ Theologiæ Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiæ Collegiatæ
S. ANNÆ Cracoviæ Decani, Parochialium in Chrząnow Præpoſiti,
in Zielonki Curati.

DEMONSTRATA.

CRACOVIÆ Typis Collegii Majoris Univerſitatis Cracovienſis.

Sicut AQUILA provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans extendit alas ſuas.

Deut. 20.

Arcanum AQUILÆ Tuæ, à Regibus deſcendens, voluit Te Regiâ duxiſſe viâ, ad Pontificale Diadema, quo ſuper Regale Sacerdotium Epiſcopus fulges.

Biezanovię

Rara avis in Cælum recto quæ tramite fertur,
Reginæ volucrum ſemita recta patet.
Aſpice Reginam volucrum, præit illa minores,
Ac docet ignotîs aſtra ſubire viîs.

Manſenius de Legato Fabio Phi:



M. Żukowski Sc. Cracoviæ.

PRINCEPS CELSISSIME.

PUblicis Orbis Poloni plausibus, circa hodiernum Tuum ad Cathedram Ingressum maximis, suum Cracoviensis Vniversitas jungit, officiosissimâ effusum in paginam, Præsuleis reverentissimè adsternit plantis. Regibus, Principibus, Protectoribus suis quinto jam à sæculo intaminatè fidelissima, Te PRINCIPEM Atavîs editum Re-

 gibûs,

gibûs, PRÆSVLEM adnunc ſuum & CANCELLARIVM Faventiſſimum, quô gaudiô, quo cultu & obſervantia excipiat, compendioſa hac pagina teſtatur. Nihil in ea fateor Magne PRÆSVL ab Arte noſtra Te dignum, nihil ab ingenio ſplendidiſſimis Natalibus, præcelſo & auguſto Sanguini, Nomini Excellentiſſimo, nihil præſtantiſſimis Virtutum Tuarum ornamentis par & conſonum reperies. Tam nativîs quàm quæſitîs à virtute ſummis Tuis decoribus exceſſiſti Magne PRINCEPS Artem & ingenia. Noſtrorum ergo in Te Præſulem, Cancellarium, primumq; Protectorem fideliſſimorum ſtudiorum, non condignæ laudationis præſens argumentum offerimus. Parces Magne PRINCEPS, pro innata Tibi Clementia tenuitati noſtræ, pro incomparabili bonitate Optatiſſime Cancellarie, à Tua à modo Vniverſitate, parvam hoſtiam, pro heccatombe dignanter ſuſcipies.

VIA

VIA AQUILÆ,

SUPER CORONATOS VAVELLI MONTES.

ITerum in Vavellum calame!
Iterum in Montem Coronîs fulgentem ito!
Occaſione pari, alachritate non diſpari,
impulſu æquè ſvavî, æquè dulcî obſequiô,
aliàs ut ante, ſic ito ad prœſens,
geſtiens, plaudens, vectigalis.

Etenim

Par parium ratio,
Læta Elegos, non Libros Triſtium poſcunt.
Feſcenninos in nuptiis canebat Antiquitas, non Iambos gementes;
Publici plauſus ſtylum nonniſi feſtivum admittunt.

Regum Mons, Montium in Polonia Rex,
iterum mentium hilaria, animorum jubilos requirit.
Præſulum Ingreſſibûs celebris Vavellus,
proprio Nomini ad-nunc libenter diſſonus,
minimum væ ſuis procul à Culminibus proſcribit,
lætiſſimo echone trans Viſtulæ littora inſonat,
& ſecundùm quod:
Montes exultaverunt ut arietes,
totus plaudit, geſtit, exultat.

 Iterum

Iterum in Vavellum calame!

Mons iste denuo in Montem Visionis vertitur.
Eandem in eo Apocalypsim, nec eandem,
omninò verò parem & similem omninò,
reverens specta, gaudens observa.

Admodùm solennis iterum in Vavello Visio,
œquè lætissima Polono Orbi, ac spectatissima,
discrepat subjectîs, objectîs cohæret,
differt Nominibûs, convenit Nominum Magnitudine.
Anterior quippe AGNI fuerat, moderna est AQUILÆ.
Illa ZALUSCII, hæc SOLTYKII,
utraq; verò pariter Sacra ac Honorifica, quia utraq;
Principis, Præsulis, Ducis,
solennem super Coronatos Vavelli vertices Ascensum,
anteactum nostram revocat in memoriam,
præsentem statuit præ oculis.

Accelera in Vavellum calame!
secutus hùc olim ascendentem *AGNUM*,
sequere nunc provolantem *AQUILAM*.

(:a:) PRÆSULEI ad THRONUM HONORIS.
Celsissimo ante famulabaris *JUNOSZÆ*,
famulare nunc ad idem Solium, Solis *ALITI*.

Evulga Vavelli gloriam calame!
Hâc ille profectò,
nec Monti Tarpeio cedit, nec Palatino.
Bubulcum enim-verò Caput,
priori Iovis Ædem Capitolium dictam,
Gentium olim spoliîs onerandam invexit,
Posterior quòd exulem habitaculô excepit Regem.
(:b:) nomen ab Eo accepit.

Polonus

(a) *Panegyris pro Ingressu Andreæ ZAŁUSKI 1747. ab Authore scripta.*
(b) *Palatinus Mons à Palanto Rege.*

Polonus atverò Vavellus,
innocentissimis cæsorum pro Christo Infantum Exuviîs,
vivificîs Ipsius Salvatoris Domini Manubiîs,
Trabe, Clavô, Spinâ;
innumerîs Sanctorum Reliquiîs;
Divi Cathedralis Basilicæ Tutelaris,
Regis & Martyris VENCESLAI,
Regiîs, Martyriîs Victricibûs,
Insigniîs, Armîs, Trophæîs;
Sanctissimîs Præsulis SZCZEPANOVII Bustîs,
Immortalibûs Regum & Præsulum Monumentîs,
Regni Cimeliîs & Clenodiîs,
dives, præstans, ornatus,
Romani gloriam Capitolii vincit.
Exulibus nullis hospitii locô unquàm fuit,
ast Regum multos, Præsulum longè plures
Thronîs suis excepit & Soliis.

Applaude Vavelli felicitati calame!
Octava & virtutum & Beatitudinis est summa.
octavum sæculum agitur, à quo Vavellus,
solennibûs suorum Antistitum Ingressibûs,
felicitari cœpit, beari Decoribûs.

Iverunt ad illius Fastigium,
alii cum animalium, alii cum alituum nobilissimis,
singulis suarum vices rerum prosperas,
singulis nova suæ incrementa gloriæ debuit.
A Gentilitiis aliorum Leonibus, Arietibus certa præsidia,
ab Agnis aureos Tripodes & mansuetissimum Regimen;
ab aliorum Gryphis & Oloribus optima
sumebat pro se habebatq; auguria.

 Eluctare:

Eluctare in Vavellum calame!
Secundissimîs hodie Avibûs,
quia auspice avium Principe & Regina,
Bonis à Superis, & Cælo datum ab ipso,
CELSISSIMUM PRINCIPEM
Illustrissimum & Reverendissimum Dominum,

D. CAIETANUM SOŁTYK,

Severiæ DUCEM, Aquilæ Albæ EQUITEM,
Pastorem & Præsulem desideratissimum,
suam ingredientem Cathedram,
lætissimus specta, adora reverentissimus.
Ab optatissimo hoc Principis Ingressu,
ab honorificentissimo AQUILÆ Ascensu
optima propter Patriam & Ecclesiam auguria,
propter Vavellum, Cathedram, Diœcesim,
auspicatissima omina sume.
Viam Aquilæ super Petram,
Regum olim Sapientissimus ignoravit.
Calame vectigalis,
Præsuleæ Viam Aquilæ,
super Coronatos Cracii Vavelli Montes,
licèt ex eo solo sufficienter colligeres,
quòd ad hocmet Fastigium cum solis Regiis Principibus,
FRIDERICO, & JOANNE ALBRACHTO,
gloriosissimè olim processerit;
ab Ipso verò Principe, suam Ingrediente Cathedram,
Viam esse Regiam,
non unô argumentô collige,
& officiosissimam deduc in Paginam.

Viam

VIA
AQVILÆ,

AB AUGUSTÆ DOMUS ORIGINE,

Viam calame affectas Olympo,
dum primos SOŁTYKIÆ AQUILÆ quæris progressus.
Principis enim alituum,
nidum in imo nunquam invenies.
Regiæ Volucres, cum plebe avium non nidificant.
Vulgares aviculæ, vel è humilibus arbustis,
vel è palustribus locis in Orbem prodeunt.
Solis Alitem nisi vicina Soli cubilia fovent.
Iste est Aquilarum genius,
nidos suos non ponere nisi in sublimi.
Jovis aliàs Armigeræ,
nidificare aliter non sveverunt, nisi è proximo Jovis,
in rupium nempe & petrarum altissimis.

SOŁTYKIÆ AQVILÆ,
Regalem Nidum Prussia dedit Regalis.
Mavortiæ Genti habitatam Coloniam, Mavortius insedit Ales.
Sive quidem Prussiæ Albigensium Regi,
sive Gothis, Romanis, Ulmigeris,
primò cultam asserueris Prussiam,
semper bellacium Patria Incolarum fuit.
Fertilissima frugibûs Regio,
publicæ futuram frugi enutrivit Volucrem.
Amænior Soli natalis Genius,
ad Soliorum fovit delicias, pavit ad amores.
Frigidiori atverò sub Jove,
quale Jovis Armigeram decebat,
generosissimo induruit pectore.

C Matu-

Matutinus Solis exorientis ſplendor,
certa ſuccedenti dare ſolet præſagia diei;
Magnarum Origines Familiarum,
maxima ſunt futuræ argumenta fortunæ.

Sume hic auguria calame;

Regalis in Boruſſia Ales,
SOŁTYKIAM initiat & ſimul inſignit Domum,
omine nedum ad prima Illius initia, aſt etiam
ad continuos perennesq; progreſſus feliciſſimo.

Magnorum eventuum certæ augures Aquilæ.

Natalibus hominum quoties aſtiterunt cunis,
toties ſupremæ in orbe fortunæ,
& obſtetrices fuerunt & ſigniferæ.

Regalis è ſinu Lucinæ rapuit Ganimedem Aquila,
ut Iovi Deorum Regi Pocillatorem daret:
gemina naſcentis Alexandri cunis, at Marii aſtitit ſeptena,
geminum Illi Imperium, Huic Imperii Faſces,
notiſſimo eventu præſagiit ſeptenos.

Auſpicatiſſimus Ales,

Illuſtriſſimæ SOŁTYKIORUM Domûs Horoſcopum dirigit.
Tali certò certiùs ſub Horoſcopo,
maximus Honor & auguſta culminabit Fortuna.
Videbuntur congeſtæ Clavæ, Scipiones, Sceptra.
Fulgebunt aurei Faſces, Mitræ, Coronæ.

Talibus Lucina in Cunis,

formabit præcelſum Sanguinem ad Purpuras,
ſervabit ad perennia excellentiſſimæ Gentis incrementa,
augebit ad colligandas primas in Regnis Domos,
ad Conſanguineos Imperantium Nexus,
ad Auguſta cum Majeſtatibus fœdera,

Jam-

Tam auſpicata è Geneſi,
prodibunt Summi Viri, ad ſpes Orbis maximas.
Naſcentur SOŁTYKII, ad Celſiſſimæ Domûs decora,
ablactabuntur ad propagandum Nominis ſplendorem,
educabuntur ad multorum Regnorum ornamenta,
ad Regum obſequia & Miniſteria,
ad Patriæ ſuæ firma Columina & Præſidia,
ad quævis bellô gerenda & pace Officia,
ad exornandos magnîs meritîs ipſos Honores,
ad Titulos Dignitatum illuſtrandos.

Regum Ales, Alituum Regina,
primo Illuſtriſſimam SOŁTYKIAM Domum ſignavit ab Ortu,
Regalibus Illi pennis nil humile, nil vulgare,
aſt omnia Auguſta, omnia inſcripſit Celſiſſima.

Capite illa defert coronam & collô,
Mitras, Tiaras, ſacras Coronas,
meritiſſimis SOŁTYKII deferent capitibûs.

Coronatæ in tutamen Cervicis,
diſtrictam armata manu frameam gerit:
Coronatorum ad defenſionem Capitum,
ſtringent fortia arma SOŁTYKII, & victrix ferrum.
Alas ad volatum, pectus exporrigit ad ictus:
prò Focis & Aris, prò Fide, Rege & Lege,
non ibunt SOŁTYKII, ſed volabunt;
pectoribûs ipſas etiam in mortes apertis.
Omina quæ paginam implent,
jam ſui pridem iiq; publici impleverunt eventus.
Vidit eos imprimis Pruſſia, Roxolanum poſt Imperium,
vidit & videt, habetq; in confeſſo Polonia.

Deſine augurari calame.

V I A
A Q V I L Æ,

à PRÆCELSO PATERNO & MATERNO SANGVINE.

Non ſola lactans Herculem Juno,
ſplendidam in Cœlis Galaxiam facit;
Celſiſſima quoq; S O Ł T Y K I Æ Domûs Lucina,
quot præclara Magni Nominis Germina,
fœcundo ablactavit & ablactat ſinu,
tot ſplendidiora iîs, quæ in Orbe Galaxiæ lucent,
Sidera in terris nutrit, & non uni Polo
viam Lacteam format.
Æmulus aſtrorum SOŁTYKIUS Sanguis,
quot guttîs ſtillat, tot clariſſimîs ſideribûs fulget;
quot in venas diffunditur, tot eſſe fœcundas
inocciduæ lucis ſcatebras noveris.
Fonti luminum ſimillimus, imò Fons ipſe luminum,
Sæcula ſuo implevit ſplendore & eſt lucis integer.
Quot in ſtirpes, tot in radios ſe partitur,
quilibet verò radius eſt Fons Luminis totus,
quilibet luce ſua Soli adæquat.
Roſeum illi à Purpuris jubar, à Trabeis purpureum,
fulgor ab Honorum Titulis Illuſtriſſimus,
à Ducali Prærogativa Celſiſſimus,
ab auguſta Affinitate Sereniſſimus.
Originali ſua Scatebra,
Balthici è proximo emanavit Maris,
Pruſſiæ imprimis & Poloniæ animavit fortunam,
felicitatem nutrivit, aluit, ſuſtentavit.
Clariſſima propagine Illuſtriſſimam auxit Familiam,
liberimum Lechi Regnum ditavit.

Sæcu-

Sæculorum deinde tractu,
per amplissimas Gentes, Regna & Imperia diffusus,
gemmeos Viros, sive Virorum protulit gemmas,
illas quoq; suo dedit de sinu Conchas,
quæ Thronis & Coronis Uniones parerent.
Ex Splendidissimo hujus Sangvinis,
ceu altero Solis ipsius Fonte,
quicunq; in Orbem prodierunt Viri,
fuerunt omnes inoccidua Filii lucis,
Luciîs illustriores Romanîs.
Primorum luminum fluminum ingentium,
naturam induit, imitatus indolem,
Præcelsus SOŁTYKIUS Sanguis.
Non uni Polo allucent Soles;
non unam Provinciam Nilus alluit.
Spargit lucem in Universum Titan fusiore coma.
Grandiores Fluvii
postquàm contiguas humectaverunt ripas,
adjacentes circũquaq; aggeres inundant.
Magnis SOLTYKIO è Sanguine Heroibus,
unum Clima, unum non sufficiebat Regnum.
A Balthico itaq; Mari, ad glacialem Oceanum,
à nativis Regalis Prussiæ oris,
in albam cum Sedibus suis,
concesserunt Russiam.
Amplissimo illo in Imperio,
gratissimi Advenæ, Indigenæ honoratissimi,
Non solas duntaxat inibi Sedes,
ast ipsa Summorum Ducum, Principum & Procerum corda,
affectusq; invenerunt sibi patentes.

D Gene-

Generosissimæ pró pretio Indolis,
pro Polonæ justissima æstimatione virtutis,
pro innata & ipso accepta cum Sanguine dexteritate,
á primo in Roxolanam Monarchiam adventu,
maximis haberi cæperunt in Honoribus, ornari Titulis,
prima assumebantur ad officia; & implêrunt ea gloriosè,
provehebantur ad Ministeria, & gesserunt illa laudatissimè.
Versatissimorum ingeniorum acie,
eadem cum Gentilitia excellentes AQUILA,
intimis quibusve Aulæ adhibebantur Consiliis,
difficillimis Imperii admovebantur negotiis,
in Pace & Toga Consules, in Sago & Bello Duces,
utróq; tituló commendatissimi,
utroq; nemini secundi.
Summâ rerum agendarum Prudentiâ,
magnanimitate, & bellica fortitudine incomparabili,
domi forisq; luculenter probata pollentes,
adscitiæ tantùm profuerunt Patriæ,
tantùm fortunam Illius auxerunt & gloriam,
ut plùs Manilii, Metelli, Scipiones, nunquam
poterant auxisse propriæ.
Unum è multis vectigalis innuit calamus,
Illustrissimum & Excellentissimū Dominum,
MICHAELEM
SOLTYKIVM,
Roxolani Statûs Ministrum & Palatinum.
Quis & Quantus Hic fuerit?
mirabatur Moschua, nec sufficienter capiebat;
spectabat multoties Polonia, nec satis
æstimare appretiareq; poterat.

Quot

Quod olim Latio Fabius,
hoc œvô ſuô SOLTYKIUS fuerat Moſchuæ.
Cunctando Ille rem reſtituerat Romanam,
Hic prudentiſſimè conſulendò Roxolanam.
Rebûs Moſchoviticîs,
nedum in peſſum, aſt penè ad incitas protruſîs,
MICHAEL SOŁTYKIUS,
apparuit Angelus Conſilii, Angelus Imperii Cuſtos.
Admodùm communia ſunt
Regnorum fata, viciſſitudines Regum,
quidquid aliquibus contigit, ſingulis contingere poteſt.

Impugnant ſerenum ſolem caliginoſæ nubes.
Lætum Jovem turbulenti Affrici vexant,
Sunt triſtes maximis Converſiones Imperiis.
Sunt funeſti Imperantibus Climacteres.
Sunt Dominis ſua flagra Sceptris.

Eripuit ſupremos Faſces Aſſirio Medus,
Medo Imperium Perſa, Perſæ Græcus Macedo,
ceſſurus & Ipſe Romanis.
Darium, Polycratem, Bajazetem,
Monarcharũ fortiſſimos ac fortunatiſſimos cogita:
Maximîs œvô ſuô his cùm Regibus,
opibûs & potentiâ nemini protunc comparandîs,
quænam novercans fatum prodigia non fecit?
Iſto vices alternante terrenas,
ampliſſimum in Septemtrione Roſsicum Imperium,
affectos funeſtis cladibûs ſuos Exercitus,
amiſſos infeſtîs bellîs, ſtrenuos Duces graviter,
aſt ſubductum Solio Imperatorem,
longè graviùs quondam doluerat.

 Ita

Ita prorſus
nullæ majores poſſunt evenire Imperiîs,
quàm Imperantium Principum jacturæ.
Siſte primi Mobilis curſum,
tota ſuperior Orbis Machina immota hærebit.
Tolle è medio Aſtrorum Solem,
Cœlum caliginis ſedem effeciſti, non luminis.

Quod ſinè Gubernatore navis,
hoc ſinè Rectoribus ſuis ſunt Imperia.
Principis vita, populi ſalus.
Incolumi Rege, mens omnibus una,
amiſſo: rupere fidem.

Querendus proinde omninò erat,
robuſtus Atlas, qui Roxolanum portaret Orbem,
gnarus Gubernator, qui vaſti Clavum regeret Imperii,
novus Princeps, qui ampliſſimam gubernaret Gentem,
numeroſiſſimos æquô regeret Imperiô Populos,
orbatô Seſſore ſuo Auguſtô Czariô Soliô,
non præeſſet ſolùm, aſt & prodeſſet.
Orbis hìc judicium eſto!
Quanta SOŁTYKIIS omnem in Patriam fides,
quanta primis maximiſq; in negotiis activitas,
Quibus ampliſſima inter Europeas Gens Moſchovitica,
Quibus numeroſiſſimi Roxolani Status,
difficillimum deligendi ſui Principis munus,
concrediderunt concorditer, commiſſerunt uniformiter.

(c) *Commiſſa eſt ab omnibus Ordinibus de ſumma Imperii tractandi facultas, Michaeli SOLTYKIO, & Joanni Ejus Filio, & quidquid Illi ſtatuerint, ituros eſſe in Eorum ſententiam Ordines.*

Quidnam

(c) Kobierzycki Libr. 4.

Quidnam sit majus
darenè Regibus populos, an Reges populis?
Politicorum disputationi relinquo.
Poterat utrumq; facere, utrumq; præstare poterat,

MICHAEL SOŁTYKIVS.

Authoritate Summus, prudenti consiliô,
dubites feliciornè an gravior?
Eligendi Magni Moschoviæ Ducis unicus ferè Arbiter,
Gemmeum Jagelonici Sanguinis,
at verò
Regium Poloniarum Principem

VLADISLAVM,

Magnum dedit Throno Roxolano Ducem.
(d) *Idem Ipse Legationis Princeps disertissimis verbis,*
VLADISLAO,
totius Imperium Moschoviæ detulit.
Jó Triumphe cane!
Magnorum Præco Bellatorum Fama,
Illustrissimo & Excellentissimo,

JOANNI SOŁTYKIO,

Majoris PALATINO Novogardiæ,
Careæ Majestatis DUCI Exercituum Supremo,
Heroi œtate sua nemini secundo.
Bellatori nèdum Magno, ast Maximis Majori.
Patre Gradivô, Matre Bellonâ natum dixisses,
Patrem intrepidâ, Matrem impavida spirabat fronte,
utrumq; invictô fovebat animô.

E Ducibus

(d) Kobierzycki ibidem.

Ducibus quos priſca ætas,
Clariſſimos habuit, & coram Orbe jactavit,
nedum comparari aſt longè præferri meritiſſimus.
Bellicis indeſſeſſum laborem in negotiis,
induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo;
conſilium in providendo, prudentiam in diſponendo,
omnes nempe & ſingulas virtutes,
quæcunq; in Magnis deſiderantur Imperatoribus,
enixô aſſecutus ſtudiô, pari retinuit.
Rerum hinc Illi,
innumeris ferè in bellis optimè geſtarum,
ſumma apud Heroës gloria, apud Cives æſtimatio ſumma,
ingens apud Careas Majeſtates & amor & favor.
Bellonæ Triumphîs JOANNEM commendatum,
utraq; celeberrimus Pallade ſequitur,
Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus,
P E T R U S
S O Ł T Y K I V S,
Palatinâ itidem in Moſchovia Curuli Inſignis.
Innuit SOŁTYKIUM calamus,
at-verò couvenientiſſimô titulô
Magnus rerum Moſchoviticarum Stator vocandus erat.
Sui enimverò Nominis Petræ,
& quod longè ſatiùs veriùſq; dicendum eſt,
prudentiſſimo Hujus Senatoris Capiti,
altiſſimis ſenſibûs, providentiſſimis conſiliis,
ampliſſimus cum ingenti negotiorum mole Roſſicus Orbis,
tam ſolidè inſiſtebat, innitebatur tam ſecurè,
ut Romanum quadrato Saxo Capitolium,
nec firmiùs innitatur, nec ſecuriùs.

Non

Non sola duntaxat
grandævæ veneranda ætatis canitie,
Græco Magnus Senator adæquaverat Nestori,
ast toti Moschoviæ Senaculo,
ob gravitatem oris, consumatam judicii maturitatem,
redivivus audiebatur credebaturq; Nestor.

Nexu Sanguinis Germanô junctus,
PETRO SOŁTYKIO,
vectigalem succedit in paginam,
Illustrissimus & Excellentissimus
B O R Y S S I V S
S O Ł T Y K I V S,
Supremus Curiæ Roxolanæ
M A R E S C H A L C U S.

Lucidus Ille Castor, Hic Pollux fulgidus,
Uterq; Sidus à Præcelso sangvine splendidissimum,
à collecto magnarum virtutum jubare illustrissimum,
à congenito animi candore lucidissimum,
Principibus suis fidissimum & peramicum,
Patrio Orbi fortunatissimum.
Magnis suis virtutibus debitum & meritis,
Mareschalcalem Moschoviæ portabat Scipionem
B O R Y S S I V S,
Ipse solidissimus Scipio,
firmissimum tanti Imperii fuerat fulcrum & columen.
Sustinebat summæ robore prudentiæ,
publicam Roxollaniæ fortunam, ne unquam nutaret;
magnîs & fortibûs firmabat consiliis, nè corrueret;
malignantiũ sub impetu si collabebatur fatorũ,
erigebat cadentẽ, sublevabat prolapsam.

 Mercu-

Mercurium dixisses Caduceô Insignem,
Mareschalcalî enimverò Virgâ,
non quidem colluctantes adinvicem serpentes,
ast serpentia inter Cives omni nociviora toxicô,
componebat odia, sopiebat rixas, dissidia dirimebat.
Alas quoq; Scipioni suo defuisse nè putaveris;
Formabat has publicus, addebatq; amor.
Tacitâ istius flammâ
intima nobilissimi in Mareschalco pectoris præcordia,
gratissimis illabente & pervadente stimulis,
in quævis pro communi Patriæ bono,
ardua, difficilia, obstantia,
non tam ire, quàm volare videbatur
MARESCHALCUS.
Angelicâ esset necessum pennâ.
ad scribendas condignas laudes & debita encomia,
Illustrissimo & Excellentissimo,
MICHAELI,
SOŁTYKIO.
Secundum Michaelis Nomine SOŁTYKIUM,
vectigalis memorat & recenset calamus.
Est profectò Iste,
tempore posterior, remotior ætate,
at sangvine, virtute, meritis, & gestorum gloriâ,
hâc priùs memorato in pagina par per omnia,
imò cum Illo omnino Idem.
Uno Illustrissimæ Lucinæ ablactati gremiô,
etiam in uno generosissimæ virtutis educati sinu,
uno illius pasti esse videbantur
ubere & mamillâ.

Solæ

Solæ duos diſcernebant Perſonæ;
Duabus in Perſonis licètſi multiplex eſſet imò omnigena virtus,
quaſi tamen eadem numerô & individua cernebatur.
Utroq; in MICHAELE
SOŁTYKIO,
elucebat idem fervens ſuam in Patriam amor,
idem enixum in Bonum commune & publicam fortunam ſtudium,
eadem illibata in Principes fidelitas,
idem in Magnos Duces obſequium.
Nunquam tantum Clitus pro Alexandro,
Antipater decertavit pro Philippo,
quantum uterq;
MICHAEL SOŁTYKIUS,
pro Magnis Moſchoviæ Ducibus,
vel ad vacans deligendis Solium, vel manutenendis in Solio!
Debuit Roxolanus Orbis,
MICHAELI SOŁTYKIO,
memorato ſuperiùs PALATINO,
quæſitum ex JAGELONEA Stirpe,
Principem optimîs meliorem,
Magnum SIGISMUNDI III. Filium,
VLADISLAVM,
Debuit orbata denuò Magno Duce Ruſſia,
MICHAELI alteri SOŁTYKIO,
ad ſui Faſces & Gubernacula Imperii,
legitimo ſucceſſionis jure optimè innixum,
aſt ſciſſis Civium in diverſa ſtudiis,
labefactata ſpe non modicùm nutantem,
MICHAELEM
FEDEROVICIVM.

F Longũ-

Longum admodùm esset,
recensere SOLTYKIORUM Singulos,
singulos vectigalem revocare in paginam,
immortalibus pridem insepultos excitare de Bustis,
uniq; ad præsens labenti visendos exhibere sæculo,
Qui per longos multorum sæculorum tractus,
deductis ab aliunde nativis sedibûs,
mutatis Diis Penatibûs, Lareq; primævo,
in amplissimo Roxolano Jmperio,
peramico Lucinæ sidere, & quod verius est,
Diis ipsis Magnæ Domui ab Alto faventibûs,
Illustrissimâ propagati Genesi, aucti Propagine,
nedum clarissimis stirpibûs, germinibûs, præcelsis,
ast summis virtutibûs, meritis, gloriâ,
Roxolanum auxerunt, accumulàrunt Imperium.
Implèrũt Illi grandes Rossiæ fastos suis Nominibûs,
Præclaris & immortalibûs gestis, totos Annales.
Legi in Illis hucusq; possunt & videri,
Alii Cancellarii, Mareschalci, primi Curiæ Ministri.
Alii intimi Aulæ Secretarii, Belli Duces Supremi.
Calent adhuc Eorum meritis Roxolanæ Curules.
Fervent ignea virtute Moschoviticæ Clavæ.
Appretiantur aureâ svadâ Scipiones, fidelitate Sigilla.
Spirant consiliis Augusta Imperii Conclavia.
Audiuntur eousq; Bellonâ & Pallade Clarissimi,
omnibûs Imperii Honoribûs Ornatissimi,
omnibûs Dignitatũ Titulis Illustrissimi.
Regalis Aquilæ Pulli Generosissimi.
Opibûs, Fortunâ, Hærediis Permagni.
Gestis & Virtute Maximi.

Hic tan-

Hic tandem Calame!
optatiſſimos æquè ac fortunatiſſimos,
Poloniæ adora Indigenas
SOŁTYKIOS,
Ornatâ primis Illuſtriſſimæ Domûs Stirpibûs Pruſſiâ,
impletâ Ducibûs, Miniſtrîs, Proceribûs Ruſſiâ,
Bello, Pace, Domi, Foriſq;
Clariſſimum SOLTYKIORUM Nomen,
Polono cæpit allucefcere Orbi,
& eousq; Illum,
indeficienti Celſiſſimi Sanguinis Propagine,
implet, ornat, ditat, illuſtrat.
Bracłavienſis, Kijovienſis, Czerniechovienſis,
latèprotenſi Poloniæ Palatinatus,
Liberum ſatiùs Reduces, quàm Advenas in Regnum
SOŁTYKIOS.
Lætis Illuſtriſſimos Indigenas ſuos exceperunt Sedibûs,
longè demum lætiori rerum ac fortunæ eventu,
Optimos tota Polonia Cives,
prudentiſſimos Conſules, Heròés dexterimos,
adtunc recepit, & gaudet adnunc habere.
Quanto primævam amore in Patriam,
ad Polonum Illuſtriſſimi SOŁTYKII redierunt Regnum,
luculentiſſimô id teſtatus eſt documentô,
Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus
VLODIMIRIVS
SOŁTYKIVS,
Czerniechovienſis Palatinus,
Princeps Celſiſſime
Tuus Abavus.

Nulla hujus Senatoris animo,
nulla cordi major, nulla gravior insedit jacturâ,
quàm unius perdilectæ carissimæq; Patriæ.
Cum avulsa à Regno fatô temporum Czerniechovia,
avelli à se maluit peramplum opulentumq; hæredium,
quàm se ab unicè adamata Patria.
Poterat vis hostilis subducere Viro Maximo,
partas summô meritorum pretiô suis à Majoribus fortunas,
at Illum Ipsum à liberrima semovere Gente,
nequaquam poterat, nec semovit.
Litavit Patriæ VLODIMIRIUS summo amori,
Bona quanta Czerniechoviensi in Palatinatu habuit,
(e) Lege edictoq; publicô testata Patria
gratitudinem, VLODIMIRIO quantam debuit.
Iisdem Magno cum Genitore encomiîs,
iisdem magnîs celebrandus venit laudibûs,
Qui à gloriosissimis Paternis vestigiîs & factis,
nec latum (ut ajunt) secessit ad ungvem,
Illustrissimus & Excellentissimus,
BASILIUS
SOŁTYKIVS.
Czerniechoviensis Pocillator,
Princeps Celsissime,
Tuus Proavus.
Quanto Palatinus Pater,
Czerniechoviensibus Terris decori & ornamento fuit,
tanto & non minori POCILLATOR Filius.
Magnus Ille Senator, Hic Magnus Eques,
Ille Consularî Togâ, Hic Militarî Sagô,
Ille Civilî prudentiâ, Hic commendatissimus Victoriîs,
At verò

(e) *In Constitutione Anni 1667. fol: 10. & Anni 1676. fol: 37.*

At verò uterq;
parî de Religione & Regione meritô,
de amplissima liberrimæ Gentis Republica obsequiô,
de Coronatis Poloniarum Capitibus,
fidelitate per omnia pari commēdatissimus.
Nec Romæ Curtios, nec Codros Athenis,
invidere protunc poterat Polonia;
quando in uno sæculi sui Heròé Maximo,
BASILIO
SOŁTYKIO,
contra omnem conjuratorum fatorum voraginem,
contra hostium colluviem ingentem,
non uno contra se Orbis à cardine motam,
& Curtios habuit & Codros.
Joanne Casimiro Rege,
liberrimo in Regno infelicissimi regnabant casus.
In deditam Marti & Bellonæ ab antiquo Gentem
& Bellona & Mavors abundiq; sæviebat infestus,
Integrâ vix non Europâ,
datum contra Poloniam signum, Classicumq; dixisses;
Bella tunc oriebantur é bellis, prælia è præliis.
Non jam unius exitium, alteri initium dabat.
Ast luctuosissimo illo rerum Polonarum Statu,
unicô plura nascebantur momentô.
Plura simul ceu è septicipi Hydræ pullulabant capite.
Non jam alterna vice, hostis succedebat hosti.
Non è vestigio inimicus miles superveniebat militi,
Non tot olim prægrandi Danàós ab utero,
Synonius ad Trojæ excidium profuderat eqvus,
ut gravida malis illius fortuna ævi,
ad ultimam Poloniæ ruinam.

Rebelli Coſaco ſociatus Scytha,
bellax Svecus, tumidus ſpe Regni Tranſylvanus,
ſimultaneîs Poloniam aggreſſi armîs, ut inermem redderent.
Bellicas junxerunt Vires, ut enervarent Regnum.
Militares Copias coadunârunt & potentiam,
ut & copiîs Caſimirũ Regem & potentiâ imminuerent.
Rara phœnix in terris, aſt longè rarior,
amica in improſperis fidelitas, fideliſq; amicitia.
Grande hoc in Orbe infortunium,
non privatos ſolùm conſvevit afficere homines,
illis etiam perſæpè audiebatur commune,
quos ſupra communem hominum ſortem,
Auguſta Majeſtatis elevavit Dignitas.
Lætus prævio jubare,
Orienti Soli applaudit Phoſporus.
Lætus ad ſua incunabula deducit Occidentem Heſperus.
Si ætherem Africi, ſi Cœlum nubila vexent,
Sidus illud ſereno fideliſſimum Phæbo,
nec anteire ſuum Principem videbis nec ſequi.
Raros admodùm inveneris,
Pirithoos, Neſtores, Achates, Epheſtiones,
ſuorum in utraq; fortuna Principum,
fideles & individuos Comites,
æquè bonæ ac malæ participes.
Plurimos verò quodlibet Tibi ſœculum dabit,
Beſſos, Arbaces, Harpagos,
fallaces omnemq; mutabiles ad ventum Prothèós,
obverſô ludentis fortunæ velô,
nedum ſuis turpiter à Dominis profugos,
aſt plerumq; ultimi propter Heros diſpendii,
ſceleratiſſimos Authores,

Memo-

Memorando ſœculis exemplô,
BASILIUS,
SOŁTYKIVS,
Sereniſſimum ſuum Principem,
Caſimirum Joannem,
in omnibus terrenæ viciſſitudinis momentis,
tam conſtanti animô, tam fidô & indiviſô comitabatur greſſu,
ut non fideliori Heliotropium ſequitur Solem.
Non protunc duntaxat,
dum Regis fortuna cum Oriente fulgebat Sole,
etiam dum conjuratus vix non totus Septemtrio,
ſplendorem ſuum ingenti miſceret turbine,
dum vicinus Oriens, & res ipſæ domeſticæ,
ſuo à cardine motæ & in contrarium actæ,
non unô Serenitatem Principis afflictarent nubilô,
aſſiſtebat BASILIUS Majeſtati,
fideliſſimô conſiliô, præſidiô, obſequiô.
Quàm inconnivî oculô, & illibata pectoris fide,
SOŁTYKIA Coronatos Soles proſpectet & ſequatur AQUILA,
Joannes Caſimirus,
ſuô edoctus experimentô, ſuô evulgabat teſtimoniô.
Non ſolius duntaxat Nominis,
aſt & Paternæ veri fuerunt Hæredes Virtutis,
Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi
REMIGIUS & ALEXANDER
SOŁTYKII,
Uno Eodemq; Caſimiro ſub Rege,
unius in Majeſtatem fidelitatis, in Patriam amoris,
Paternis omnino paria documenta dedêre.

Czerniechovienſis Palatinus

REMIGIUS,

Senatoriam Purpuram, quam Patris modeſtia non admiſit,
& ſuis debuit magnis meritîs & Paternis.
Coronare voluit Rex juſtiſſimus,
virtutes in Filio, quas ſummè æſtimavit in Patre.
Appretiavit merita, quæ Patrem vivum reddebant in Filio.
Ornavit Palatino Remigium Honore,
at Hic Se Ipſo Palatinos Faſces & Honorem.
Senatoria cum Eo Curulis,
ad illius ſummam gloriam aſſurrexit Prudentiæ,
quam Polonia in Magnis Proceribus & Senatoribus,
ſæpiùs optavit, aſt rariùs habuit.
Germanus Remigii Frater

ALEXANDER,

Bracławienſis Pocillator,

Princeps Celſiſſime

Tuus Avus,

Magnùm non fruſtrà præſetulit Nomen.
Heroicorum enimverò factorum,
correſpondit illi gloriâ, adæquavit omninò magnitudine.
Feraciſſimô illo bellorum ſœculô,
Polonorum Heroùm Phœnix & facilè Princeps.
Veterum Scipionum Camillorumq; Hiſtoriam,
bellaciſſima æquè ac victrici manu,
in Se Ipſo Polono deſcripſit Orbi.
Sub tribus immortalis famæ Ducibus,
Wiſniowieccio, Jablonovio, Potoccio,
Ducem agere dignus Comilito, in Caſtris continuus
Solus integra formare poterat Caſtra.

Aſſiduus

Assiduus in bellis,
in præliis frequentissimus.
Nunquam vacavit à ferro, feriavit ab armis,
Polonæ Militiæ Nomen ab adolescentia dedit.
Vitam pænè integram sub Dio & Tentoriis vixit.
Mavortius Illi Clypeus & Cassis,
ipsam ferè versa fuisse videbantur in cutem.
Militarî semel accinctus Baltheô,
solvi eò hucusq; noluit,
donec mors ipsa vitæ suæ stamina solvisset.
Nullam Poloni Martis non descendit in aciem,
nullam heroicô vestigiô non trivit arenam.
Generosissima Patritia cum Aquila,
Polonæ contra qvosvis hostes auspicatè præivit.
Ad referendam Victoriam certò certiùs prælusit.
Incomparabili dexteritate hostilem semper sustinuit impetum,
fortitudine vim fregit & potentiam.
Sangvinis & ipsius vitæ prodigus.
Utrumq; pro Patria Bellonæ in victimam tulit.
Utroq; dum carissimæ incolumitati vellificaret Patriæ,
à Diis bonis Patriæ incolumis servatus.
Momentaneas illasq; inter millenas,
quæ sangvinariis nascuntur in bellis mortes,
non tantùm impavidus mori, ast etiam anhelans,
aperto ad omnem ictum generosissimo pectore,
dum sæpè mortem provocaret & lethum,
utroq; superior eminuit, & evasit.
Formidavit nempe Illum mors ipsa Heròem,
Qui animosissimus non formidabat mortem.
Timuit Lethum, non timentem se Bellatorem.
Contemptorem fatorum animum,
reverentiùs habuerunt fata,
& vitârunt studiosiùs.

Ukrainenses, Chotimensesq; campos,
profuso hostili multoties submersit sanguine,
ex illis per medios cadaverum acervos semper illæsus rediit.
Justè omninò dubites, fortiornè an felicior hic Heros fuerit?
Lydius tamen Ille Bellatorum Lapis,
Rex inter Heròés, inter Reges summus Heros,
Hostium œvô suô Terror, Orientis Domitor,
Joannes III. Sobiescius,
bellorum à se gestorum individuum Comitem,
Victoriarum & triumphorum magnam partem,
REMIGIVM SOŁTYKIVM,
æquè fortem Bellatorem ac felicem,
Heròém Magnis Majorem, nec Minorem Maximis
vivô Regiæ vocis edixit Oraculô,
datô multoties publicô æstimavit encomiô.
Regibus ab ipsis commendatissimus Heros,
exsoluta tandem mortalitatis lege,
ingens sui quod in Polonia reliquerat desiderium,
numerosa Magnorum Filiorum serie,
ex *GOŁYNIA & MYCIELSCIA*,
Illâ primi, Hac verò voti secundi,
Consortibus suis susceptorum compensavit.
Primum ex His adorat calamus,
Illustrissimum & Excellentissimum,
JOSEPHVM
SOŁTYKIVM,
Lublinensem Castellanum,
Princeps Celsissime,
Parentem Tuum Æstimatissimum.

Accre-

Accrescentis Hic sub Nomine Filii,
immortalem Magni sui Genitoris gloriam,
amplissimam SOŁTYKIANI Nominis famam,
avitos Celsissimæ Domûs splendores,
gloriosissimis sublimiùs provexit augmentis.
Non semel liliaceum Josephum noveris.
Primus Illi animi candor,
ab ipso Augustæ Lucinæ lacte venerat,
Gallicanis á Liliis secundus.
Cultissimîs moribûs domi optimè politus,
ad Liliorum Regnum se contulerat,
non tam indigens plus poliri, quàm cupidus.
Vidit florentissimum Gallia Juvenem,
non sola duntaxat ætate, ast & cultu animi,
Hoc suis simillimo Liliis apprimè polentem,
non solùm in æstimatione at habuit
in deliciis dum teneret, in desideriis, dum dimitteret.
A Florum Regibus, seu dicere mavis,
à Regum Floribus suam in Patriam redux,
Generosissimam mentem inter Lilia politam,
domi ferrô polire voluit.
Patrio proinde Marti, non solùm Nomen,
sed se totum & omnem dedit operam.
Pro innata SOŁTYKIIS Indole,
dispendiis suis publica redimentibûs dispendia,
pro Serenissimo Augusto II. Rege,
pro gementi Sveticis sub armis Patria,
in omnes ferventissimi hostis impetus, in discrimina quævis,
calentissimô semper dexterimus Heros,
& pectore iverat & animô.

A Castrorum negotiis ad Senatum,
à Clypei meritis ad trabeæ decores,
Augusti Regis
distributivâ promotus Justitiâ,
Militare duntaxat Sagum commutavit cum Toga,
at non percupidum de Rege & Regno
optimè merendi animum.
Pro utriusq; enim Fortuna,
Senator validîs decertabat consiliîs,
Miles fortibûs præliabatur armîs.
Cûm omnibus dignissimus esset,
binam Castellanam Curulem,
Betzensem primò, post Lublinensem possedit.
Utramq; magnîs adiit meritîs, implevit majoribûs.
Non in Senaculo feriari à labore voluit.
Non in Curuli à curis quiescere.
Summæ Senator prudentiæ,
publicîs domi consuluit de negotiis,
expedivit illa foris activitate summa,
passim Legatus, passim Commissarius.
Arduo hoc munere Berolinensem ad Aulam functus,
egit illud è voto & mente Regis feliciter,
cum suæ illam apud Aulam activitatis,
animiq; sui ad maximas res gerendas peridonei,
non singulari tantùm æstimatione,
ast etiam admiratione quadam.
Judex in Tribunalibus, Miles in Castris,
Consus in Senatu, ad Aulas Orator,
omne publicarum functionum genus,
subiit libenter, gloriosissimè absolvit.
Patria ex Eo nil ampliùs desiderare poterat,
nisi quòd non vixerit sibi immortalis.
A Maximo

A Maximo famâ & meritîs Patre,
(Quem innuere nonnisi, non rerum à se gestarum magnitudinem sufficienter referre licuit,)
ad Illustrissimos
Mathiam, Nicolaum, Michàélem, Antoniũ,
S O Ł T Y K I O S,
Celsissime Princeps,
Tuos Patruos adorator deflectit calamus.
Illustrissimus olim & Reverendissimus
MATHIAS SOŁTYK,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
Margarithensis Episcopus, Suffraganeus Culmensis,
Splendidissimis Domesticis Ceris, Sacras junxerat,
utrasq; unito virtutum & magnæ sapientiæ fulgore,
longè splendidiores reddidit.
Fortitudinē quā Angelici cum Nomine Ducis recepit,
innumera pœnè per documenta monstravit.
Sive Atlantis sui in bajulanda amplæ Diæcesis mole,
indefessum ageret Succolatorem,
sive invictum contra Hæresèós monstra Domitorem.
Contra hæc licèt non gladius Michàéli ignitus,
ast omninò vis ferventissimi zeli adfuerat flammea.
Quoties verò multiplex,
Dissidentium Hydra tumidam arigebat cervicem,
toties ad conterendam ejusmodi pervicaciam,
gladius ex Ore Illius utraq; parte procedebat acutus.
Margarithensis Episcopus, erat Episcoporum Gemma,
singularì Religionis zelô dè Ecclesia,
Justitiæ observantiâ de Sacris Regni Tribunalibus,
Boni publici amore, meritissimus de Patria.

 Aurò

Aurô non ſepiâ ſcribendus eſſet,
aureô Vir datus ab ævo, aureo vocatus Nomine,
Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus
NICOLAVS SOŁTYK,
Premyslienſis Caſtellanus.
Principe nonniſi metallo appretiari poſſunt,
nedum geſta Magni Hujus Senatoris, aſt & ipſa dicta.
Aureum Conſiliorum Tripodem,
eruditiſſimô complexus Capite, Ore ſvadam auream.
Aurea erant effata, quæ dabat pluries in Tribunalibus Judex,
aurei ſenſus, quos in Patrum Curia promebat Senator,
gemmea verba, quæ loquebatur Principum Orator.
Radomenſe ad Tribunal multoties Commiſſarius,
æqua aure partium audivit querelas,
æqua lance ponderavit injurias,
æquiſſimô judiciô retenta militi pendi ſtipendia,
illata Civibus resarciri decidit damna,
Generalibus Grodnenſibus in Comitiis,
ad res in Curonia & Semi-Gallia componendas,
deſignatæ ab Univerſis Regni Ordinibus Commiſſionis,
delectus voce unanimi Arbiter,
magno rationum robore, pondere eloquii non minori,
ſubortos inquietorum motus animorum paccavit,
diſcedentes ab orbita Status, ſaniora ad conſilia revocavit,
Feudatariam Gentem Vaſallis in Juribus,
debitoq; Polonam erga Rempublicam in officio continuit;
relictô Orbi & poſteris ſæculis documentô;
quantùm ex Illuſtriſſimis SOLTYKIIS unuſquiſq;
ad Regnorum fortùnam, tranquilitatem, pacem,
& comparandam valeat & reparandam.

Meruit

Meruit plurimùm Nicolaus de Polono,
at verò MICHAEL non de uno,
voluit mereri & multùm merebatur Regno.
Extra Patriam ad invisendas ivit Gallias,
non tam vana exteras videndi res curiositate,
quàm cupidô extera merendi de Gente animô.
Ludus hic Illi nullus placuit, nisi Martius;
Theatrum nullum, nisi belli.
Nullum spectaculum, in quo non Bellona,
cruentam ageret scenam, & Heroum corda, ad Classica
provocaret animaretq; non ad choreas.
Regalibus LUDOVICI XIII. sub Signis,
Florentissimæ ac Potentissimæ Gallicæ Nomen Militiæ dedit.
Sub triumphalibus Liliorum Labaris,
non moles delicatula inermiq; manu carpebat rosas,
ast victrices palmas & Lauros., ferrô chalybeq; armatâ.
Vidit in Illo Polonam Gallia fortitudinem,
æstimavit Christianissimus Rex dexteritatem,
utrâq; commendatum Regio admovit pectori,
augere stipendiis, Regni Honoribûs ornare,
Regali firmiter animô proposuerat,
nisi MICHAELEM quem vis nulla Martis vicerat,
unicus carissimæ suæ Patriæ vicisset amor.
Redux proinde in Poloniam,
Martis artibûs exercitus, rerum experientiâ excultus,
pluries Patriæ Bellonæ fidissimus ad Castra Commilito,
pluries Judex ad Sacrum Regni Tribunal Deputatus;
pluries ad Generalia Comitia Legatus,
parî de Polonia merebatur studiô,
ut ante dè Gallia.

Sandomirienſis primùm,
VENATOR, DAPIFER, VEXILLIFER,
ad nunc tandem CASTELLANUS Senator,
in ampliſſimo hoc & ornatiſſimo Palatinatu,
omnes Honorum poſſedit Gradus, quia omnes meritorum
quâ internis, quâ externis in functionibus,
continua glorioſiſſimè exegit ſerie.
Matrimoniali priùs fœdere,
MAKOWIECCIÆ,
Illuſtriſſimi Trębovlenſis Capitanei Filiæ,
Camenecenſis Caſtellani Nepti;
Votô deinde ſecundô
TERESSIÆ MORSZTYNIÆ,
Livonienſi PALATINIDÆ junctus,
Nominis SOŁTYKIANI Splendores,
Illuſtriſſimîs adauget ſideribûs,
digniſſima prole propagat,
ANTONIUS SOŁTYK,
Lublinenſis Succamerarius,
Omnigenæ in MICHAELE Fratre virtutis æmulus,
iiſdem meritorum veſtigiîs,
eôdem in publicum bonum ſtudiô,
eôdem ad quævis Patriæ obſequia conatu,
ad Religionis defenſionem, ad libertatis præſidium,
eodem contendit fervore, eadem contentione incubuit,
iîsdem quoq; cum FRATRE Curulibûs,
iiſdem Senatoriîs in Regno Purpurîs,
iiſdem digniſſimus ornari Titulîs,
niſi Nobilitatis Princeps, Honores alios,
mereri maluerit, quàm habere.

Poſt

Poſt Paternas Principis Ceras,
novos à Maternis ſplendores,
vectigalis dèliba calame!

Illuſtriſſima & Excellentiſſima

CONSTANTIA,
ALEXANDRI
de Drzewica
DRZEWICKI,

Palatini Lublinenſis Filia,

Magna Præſulis Celſiſſimi Genitrix.

nativos Illuſtriſſimæ Domûs ſuæ ſplendores,
arctiſſimo SOLTYKIANIS junxit fædere,
& ampliùs SOLTYKIANOS adauxit.
Ex antiquiſſima æquè ac ampliſſima
VITELLINORUM in Italiis oriundi Familia,
cum Gentilitiis Rubei à quo dicebantur VITELLI Armis,
ſub MIECISLAO adhuc, primo Orthodoxo Principe,
Magni Regno Poloniæ acceſſerunt Advenæ,
mox à poſſeſſis *Drzewicá* bonis appellati

DRZEWICCII,

à PAULINO in Poſteros propagati,
non per lentos auctus, & modica incrementa,
non per radios diutiùs accumulatos radiis,
aſt primo ſtatim ſuo in Polonia ab ortu,
pleniſſima Magni Nominis luce,
lucidiſſima Generis claritate,
Illuſtriſſime Familiæ ſplendore,
ſplendidiſſimo primorum tam in Republica,
quàm in Eccleſia DEI Honorum jubare,
clareſcere cæperunt, & claruerunt.

K *Noſſe*

Noſſe cupis?
Qui Eorum, & quibûs Sacrîs fulſerunt Honoribûs?
Primùm ſtatim à ſuo in Poloniam adventu
ROBERTVM,
ipſo quaſi (ut ajunt) à limine
Archiepiſcopalî Gneſnenſi Dignitate
Princeps Miecislaus excepit.
Primam hanc inPolonia Infulam,
Primos à Regiis Primatiales Faſces,
SCISLAUS demum & MATHIAS
DRZEWICCII,
Gneſnenſes ambo Archi-Epiſcopi,
paribûs obtinuerunt meritîs, paribûs ornârunt.
Natum ad Tiaras MATHIÆ Caput ut noſcas,
Ante Archi-Præſuleam Gneſnenſem,
Premysliensem, Cujavienſem Præſuleas,
Sacro vertice Magnus Antiſtes geſſit, & ſingulas
ſele ctiſſimîs virtutum, ſanctimoniæ, ſapientiæ,
condecoravit & appretiavit gemmîs.
Scire vis?
Quæ Curiæ, quæ Regni obierunt Miniſteria?
NICOLAUS Sandomirienſis Cuſtos,
Vladislao JAGELLONE Victorioſiſſimo Rege,
in Caſtris cum Exercitu contra Svidrigelium morante,
Regium recepit Sigillum, & glorioſiſſimè tenuit.
Recenſitus ſupra MATHIAS, ſub tribus continuò Regibus,
Joanne Albrachto, Alexandro, & Sigiſmundo,
Signatorias Regni adminiſtrabat Ceras.
Quæris quas poſſiderint Curules?
JACOBUS Zarnovecenſem,
ADAMUS Inovroclavienſem Caſtellanas,
ALEXANDER Belzenſem Palatinam.

Sciſci-

Sciſcitaris,
Quibus & quanta Regibus in acceptatione fuerint?
JOANNES DRZEWICCIVS,
ab intimis CASIMIRO Regi habebatur ſecretis.
Ab Eodem ad Vladislaum Regem Bohemiæ,
pro petendis contra Othomanos ſubſidiis,
glorioſiſſima Legatione functus.
MATHIAS nedum Regibus amatus, aſt Regum fuerat amor.
Electum in Regem Poloniæ Sigiſmundum,
ad Regni invitavit Gubernium, & è Lithvania deduxit.
Ab Eodem ad Viennenſem aſſumptus Congreſſum,
fidum in via Comitem, in negotiis Conſultorem egit Optimum.
Ad Sereniſſimam Venetorum Rempublicam Orator,
à Polona armorum contra Turcas ſocietatem diſertè petiit.
Ad Imperialia Francofurti Comitia Legatus,
multùm inibi Electioni CAROLI Cæſaris ſuffragatus,
intimè proin dilectus à Cæſare, plurimùm æſtimatus.
Hungariæ Regnum LUDOVICO minorenni jure debitum,
authoritate ſua firmavit, conſiliò, prudentiâ ſtabilivit.
Collige hinc meritorum,
quibûs ab ævo claruerunt DRZEWICCII magnitudinem,
Honorum quibûs excelluerunt amplitudinem,
Titulorum ſplendorem, Nominis Magnificentiam.
Totum hoc una Illuſtriſſima,
CONSTANTIA PALATINA,
omnium Ipſa virtutum compendium, dotum collectio,
Heroinarum ævô ſuô exemplar, Drzewicciani Sangvinis Gemma;
in Celſiſſimam SOLTYKIAM Domum dotalitiô,
Principem in Præſulem,
Materno contulit jure.

Corneliis olim hæc dabatur gloria,
quòd solæ Viros parerent.
CONSTANTIA è DRZEWICCIIS SOLTYKIA,
longè gloriosiori germine, feliciori partu,
quot Filios, tot Vîrorum edidit Gemmas.
Unô Illi Tecum,

Princeps ac Præsul Celsissime,

Palatinæ sinu Lucinæ editi, unô ablactati gremiô,
Solennem hodiernum ad Cathedram Ingressum Tuum,
cum singulari Fraternorum gaudio cordium spectant.
Magnîs Togâ & Sagô meritîs distincti,
distinctîs quâ Senatoriîs, quâ Equestribûs ornati Titulîs,
distinctis scribi elogiis deberent.
Totos laudum meretur Tomos,
THOMAS Lublinensis Succamerarius,
Titulô Nobilitatis Princeps, meritô in Patriam primus.
Gemmeâ MALACHOVIÆ Consortis Fasciâ,
primis in Regno Fascibûs ornatissimam Domum,
junxit colligavitq; propriæ.

MATHIAS & FELIX,
Ille Varsaviensis CASTELLANUS,
Hic CAPITANEUS Zwinogrodensis,
Loricatæ Cohortis Serenissimi Regis Vexillifer.
Magni Nominis famam gloriosissimîs protendunt factîs.
Heroicîs actionibûs immortalem sibi gloriam parant.
Præter militiæ negotia,
vicibûs penè innumerîs ad Regni Comitia Legati,
Judices ad Tribunalia Deputati,
in illis integritati, in his securitati,
Patriæ, Regni, Civium,
æquè fideliter consulebant ac optimè.

Sile-

Sileri minimè possunt,
Qui inter Religiosa vitam elegerunt silentia,
THOMAS & JOSEPHUS,
Alter in Ordine SS. Trinitatis à Redemptione Captivorum,
Alter in Seraphica Francisci Familia,
ambo doctrinâ, virtute, pietate,
æquè commendati, ac de Ordinibus suis meritissimi,
publicis ad hodiernum Ingressum plausibus,
exultantium in Domino animorum,
festivos jungunt jubilos.

Te Princeps Celsissime,

Suum è FRATRE dilectissimo,
Cælo sibi datum ab alto,
Patrem, Præsulem, Pastorem,
effusis in gaudia venerantur præcordiis.
Virginali quoq; D. Benedicti è Cænobio,
sua olim in sæculo dilectissima Sorore,
Jarosłaviensi adnunc in Conventu,
prædicti Patris Monialium,
dignissima & æstimatissima Abbatissa,
CATHARINA è SOLTYKIIS,
Ducem & Antesignanam agente,
THERESSIA & THEOPHILA
SOŁTYKIÆ,
Benedictinæ Moniales,
trinæ inter se in sæculo Sorores,
& simul trinæ Ejusdem in Religione Patris Filiæ,
Agnum Sponsum inter lilia pasci solitum,
spretis mollioribus, ast multùm fallacibus
mundi viis jam pridem secutæ.

Princeps Celſiſſime,

quòd candidiſſima veſtigia & greſſus,
quibûs Tuam hodie procedis ad Sponſam,
ſequi ex proximo non poſſunt,
intimîs à longinquo Te PRÆSULEM ſequuntur votîs,
pro auſpicatiſſimo Tuo Ingreſſu,
vicinius ſuis è Cellis Cælum,
piiſſimîs ſuſpiriîs pulſant.

Sacris profectò his Polonis Veſtalibus,
triumphales non ſuppetunt ignes, at puriſſimas
Virgineorum pectorum flammas, ad gratiſſimum
Cælo triumphum, continuò nutriunt & fovent.
Abdicant ſe Avitis ſplendoribus Religioſæ animæ,
illos tamen non obſcurant, etiam dum obumbrant.
Sunt & Clauſtrales umbræ, lucis parentes,
illiusq; ſanctæ & illibatæ, in puriſſimi cordis acerra,
ad acceptiſſimum DEO holocauſtum ardentis.

Non ſolæ Celſitudines, etiã ipſæ Serenitates,
illuſtriùs in Religioſis fulſerunt angulis, quàm in Thronis,
magis DEO notæ & acceptæ, dum abjectæ laterent.

Patriæ quoq; claritudini,
ſtabilius in omnem poſteritatem affuderunt jubar,
quò longiùs ab ea receſſiſſe videbantur,
& Sanctis profundiùs degebant in umbris.

Non modicum hoc quoq; pertinet,
ad Celſiſſimæ SOLTYKIÆ Domûs gloriam,
quòd Nobiliſſima ſua Germina,
& Focis nutriat & Aris,
& Regioni alat & Religioni,
& luci publicæ & clauſtralibus umbris.

Poſt

Post Benedictinas Vestales,

Princeps Celsissime,

Tuarum Amitarum,

Religiosum ac sacerrimum Ternionem;

Eodem Consangvinitatis titulô ast numerô longè majori,

Aliæ sæculo superstites censentur;

ELISABETH nimirum Illaq; primô

FRANCISCI KOCHANOVII,

votô verò secundô,

JOANNIS KRASINSCII,

Malogostensis CASTELLANI;

ZOFIA JOANNIS DROCHOJEWSCII,

Premysliensis VEXILLIFERI,

HELENA JOSEPHI ROSNOVSCII,

Sanocensis DAPIFERI,

FRANCISCA JOSEPHI MORSCII,

Premysliensis PINCERNÆ;

Lectissimæ Conjuges, & Æstimatissimæ,

Magnæ Nobilissimarum prolium Matres,

fœcundæ Clarissimæ Sobolis Genitrices,

primarum in Regno Propagatrices Familiarum,

Princeps Celsissime,

omnes & singulæ dignissimæ

Amitæ Tuæ.

Tot Illustrissimos Magnorum Nominum splendores,

tot Avitos Insignium Familiarum decores,

tot Vetustissimarum ornamenta Domorum,

Præcelso SOLTYKIANO Nomini,

arctissimo fædere jungunt.

Imparì veniunt numerô
aſt paribûs virtutum, gloriæ, Honoris
Illuſtriſſimi ornamentîs,
IGNATIUS, JOSEPHUS, MATHIAS,
THOMAS, CAJETANUS,
S O Ł T Y K I I,
Princeps Celſiſſime,
Fratres Tui Patrueles.
IGNATIUS Cracovienſis Cathedralis CANONICUS,
ſub Vavellano Coronarum Ternione,
iîs qualitatibûs, ſapientiâ, virtutibûs fulget,
quibûs ipſas ornat & appretiat Coronas,
Infulis non leve ſui deſiderium facit.
Præluſerunt certò
Vavellanæ multis ad Infulas Coronæ,
ut I G N A T I O præludant,
nos optamus, plura efficiet ſolus.
JOSEPHUS Pilznenſis Enſifer,
quâ pace, quâ bellô, fidelibûs Patriam juvat Obſequiîs,
Celſiſſimam Domum nobiliſſima adauget ſtirpe.
MATHIAS Succamerarius Sandomirienſis,
T H O M A S Caſtellanides;
Ille Exercituum Regni Generalis,
Hic Loricatæ Principis JABŁONOVII Cohortis Vexillifer.
Uterq; dextera Martis Poloni manus.
In Caſtris Milites, in Tribunalibus Judices, in Regni Comitiis
Oratores, ſvadâ & eloquiô plurimùm valentes.
Alter Dembiniæ Dapiferidæ Cracovienſi, Alter Piegłoviæ,
Szrubſcenſi Capitaneidæ, Conjugali fædere junctus.
Nativis ſplendoribus Cognatos accumulant.

VIA

V I A
A Q V I L Æ,

A Serenissima Affinitate, Colligatisq; Nominibus.

Ab Illustrissimis et Celsissimis Titulis,

ad Serenissimos;
A Senatoriis Purpuris, Principum Laticlaviis,
ad Trabeas Regum & Paludamenta;
A Sellis Curulibus,
ad Augustissimos Imperantium Thronos,
ad Sacras in Orbe Majestates,
reverens eluctare calame.

Enim verò
In superiori Astrorum Regno,
in amplissima illa Luminarium Provincia,
roseos Phosporos venturæ nuntios diei,
suos verò fidissimos Antesignanos,
tota luminis circumfusus plenitudine,
tota splendoris Majestate refulgens,
Fons ipse luminum, & Astrorum Princeps sequitur.

In Perausgusta SOŁTYKIA Domo,
quasi in altera Solis Regia,
præter fulgentissima omnibûs Titulîs Astra,
præter lucidissima primæ Magnitudinis in Regnis sidera,
Ipsi demum Soles Regnorum Serenissimi,
Ipsa Imperantium prima fontaliaq; Lumina,
ea Augustissimi splendoris radiantia luce,
vectigali adoranda veniunt calamô,
quâ nonnisi Thronos & Majestates,
Orbis fulgentes adorat.

 Ita

Ita nempe,

Non è solo roseo æquore Titanes surgunt.
Non sola Thetis Phæbum suis in Regnis alit.
Etiam è purpureo SOŁTYKIANI Sangvinis Mari,
Serenissimi Imperiorum venerunt Soles.
Etiam Augusta Hujus Domûs Lucina,
Augustissimis in Orbe Thronis & Majestatibus,
lucidissima nutrivit & dedit sidera.
Roxolanum in Orbem,
vectigalis iterum ito Calame!
Quidquid amplissimi hujus in Throno Imperii fulget.
Sangvinem esse SOŁTYKIUM scito.
A MICHAELE enim SOŁTYKIO,
memorando Roxolani Vindicatore Imperii,
Solenni in Poloniam Legatione commendatissimo,
Præcelsa felicis Thalami procreata Genesi,
A N N A
S O Ł T Y K I A,
Serenissimo & Potentissimo
JOANNI II.
A L E X I O,
Augusto Moschoviæ Imperatori,
PETRI MAGNI,
itidem Bellicosissimi ac Invictissimi,
Rossiæ Imperatoris,
F R A T R I
Natu Majori,
in Augustissimi Consortem Thori,
simul in Throni delecta Sociam.

Sere-

Sereniſſimarum trium Filiarum,
nimirum
CATHARINÆ,
CAROLO
Meklemburgenſi;
ANNÆ,
FRIDERICO KIETLERIO,
Curoniæ & Semi-Galliæ Duci,
in Sociam vitæ elocatæ,
ac demum
Imperatricis Auguſtæ,
&
PRAXEDIS
ALEXIÆ
MAGNA MATER,
Genitrix Auguſtiſſima;
ELISABETH CATHARINÆ,
ANTONIO ULRICO,
de
WOLFENBUTEL,
Duci Brunſvicienſi nuptæ,
poſt fata ANNÆ ſuæ Materteræ,
ad Imperialem ſuccedentis Thronum
AVIA;
Sereniſſimæ adnunc & Potentiſſimæ,
IMPERATRICIS
ELISABETHÆ,
PETRI MAGNI ALEXII
Unicæ Filiæ,

A M I T A;
CAROLI ULRICI,
è Serenissima Domo
Ducum Holsztynensium de Gottorp,
Magni Ducis Moschoviæ,
FEDEROWICZ,
dicti & appellati;
Imperatorii Throni,
declarati Successoris,
M A T E R T E R A.
Præcelsum SOLTYKIANUM Sanguinem,
in Serenissimis Roxolanis Majestatibus,
in Augustissimis Imperatoriis Thronis,
pluribûs abhinc continuata sæculis,
Imperatoriæ propagatione Familiæ,
per Augustissima & Serenissima sua Germina,
æmulo ipsius Solis splendore,
fulgere & clarescere fecit.
Venit hinc Tibi
Princeps & Præsul Celsissime,
Serenissima cum Imperatoriis Thronis in Septemtrione,
cum Ducalibus Sacro in Imperio Affinitas.
Attigisti præcelsi necessitudine Sanguinis,
quidquid Augustum Septemtrio habet,
quidquid Imperia Serenissimum.
Spectant Te è proximo
Coronati Regnorum Soles, & Tu Sidus es ad Illos spectans.
Cognati sunt Tibi qui Imperia regunt, & Tu Illis.
Non solâ Curulî proximus es Thronis, ast & Sanguine.
Non tantùm acclives Majestates habes, ast & Affines.

Augu

Augusta est extra Regnum,

Princeps Celsissime,

Præcelsæ Domûs Tuæ Cognatio, at non minùs intra.
Cognatæ sunt Tibi primæ in Polonia & Lithvania Domus,
colligatæ Pervetustæ amplissimæq; Familiæ,
Juncta arctissimo Sanguinis nexu,
Ducum, Principum, Procerum,
Celsissima, Illustrissima, Excellentissima Nomina.
Vel cum Unica ELEONORA,
S O Ł T Y K I A,
Pauli de Potok POTOCKI Consorte,
THEODORI Archi-Episcopi Gnesnensis, Regni Primatis;
Victoriæ quoq; Sobiesciæ,
Magna Genitrice,
totus penè Polonus & Lithvanus, cum suis Titulis, Ministeriis,
etiam cum ipsis Regni Sceptris & Fascibus Supremis,
à Serenissimo JOANNE III. gloriosissimè gestis,
Colligatus Tibi PRINCEPS veniret Orbis.
Amplissimam atverò utramq; Gentem,
Celsissimi Duces,
RADIVILLII, VORONIECCII, TRUBECCII,
PRINCIPES JABŁONOVII, DENCHOFFII,
SZŁUSZKOVII, SZCZUKONES, DZIAŁYNSCII,
OSSOLINII, RZEWUSCII, ZAŁUSCII, SZEMBEKII,
MYCIELSCII, KRASINSCII, WYZYCCII, SILNICCII,
CZERNII, MAŁACHOVII, MICHAŁOWSCII,
STADNICCII, SZANIAVII, NAKWASCII,
KOCHANOVII, GRUDZINSCII, ANKVICCII,
KONARZEWSCII, DROCHOIEWSCII, &c.
distinctæ Cognationis Affinitatisq; nexu,
ad summam hodierni Tui Ingressûs,
deducunt secum Magnificentiam.

N VIA

V I A
A Q V I L Æ,
A Virtutibus Principis & Meritis.

Ad Ædem Honoris,
viæ prorſus innumeræ, aſt certior, auguſtior nulla,
quàm ſolius inclytæ virtutis.
Virtus enimverò;
homines provehit ad Deos, quantò magis ad Honores.
Ad excelſa iſtorum Culmina,
illa ſola certiſſimam anteſignanam agit.
Illius paſſibûs & veſtigiîs quicunq; inceſſerunt,
eorum alii ſideribus, alli ſummis culminibus illati.
Vides Herculem inter aſtra & Perſeum,
ſcito quòd horum utrumq;
ardens evexit ad æthera virtus.
Nulla illi via invia,
nullum faſtigium inacceſſum, nullus obex invictus.
Objice illi Leænæ catulos,
Gorgonis Caput, Minotauros, Cerberos,
calcabit hæc illæſo pede, & victrix evadet.
Superavit Alpium juga cum Annibale, maria cum Jaſone,
quidquid natura indomitum fecit, edomuit cum Macedone.
Scipiones, Pompejos, Cæſares, Auguſtos,
ad Quirina Capitolia triumphali deduxit tramite.
Argenteæ igitur, Flaminiæ, Æmiliæ,
Campanæ, Aureliæ, Æliæ, Cœlimontanæ,
Viæ Regibus, Ducibus, Imperatoribus tritæ,
Victorum Laureîs coronatæ, Ingreſſibûs famoſæ,
Viæ quoq; Appiæ, omnium Romæ viarum Reginæ,
Viæ ſolius virtutis ſunto.

TUÆ hinc AQVILÆ,
& Tui Ipsius,
Princeps Celsissime,
ab istis quibûs excellentissimis virtutibûs fulges,
super coronatos Vavelli Montes,
Viam quis non dicat deducatq; Regiam?
Regalis certè quâ hodie incedis Semita,
non ex eo solo, quòd ad Regum Basilicam ducat,
sed quòd eam expectatus Sacrorum Rex,
ingentibûs Virtutum emetiris passibûs.
Tractu illa suo, quò protenditur,
non prægrandes Crassi ostentat Columnas, ùt Argentea;
non captas de Liguribus manubias, ùt Flaminia,
non marmoreos Vespasiani arcus,
non sacra mensæ Augurum vasa,
ùt olim Romæ ostentabat Sacra.
Præstantissima Animi & Corporis Tui ornamenta,
vivæ & spirantes Túa de Fronte Virtutum Imagines,
Sacra & Venerabilis Præsulei Vultûs Majestas,
Colossîs, Columnîs, Arcubûs,
longè plùs ad Tui magnificentiam conferunt Ingressûs,
plùs ad pompam & solennitatem contribuunt.
Capitolini olim Iovis ad Ædem,
Romulos & Nummas Pompilios Religio,
Trajanos, Drusos, Germanicos,
Patriæ suæ & Civium Amor,
Camillos, Marcellos, Marios, bellica fortitudo,
vel unica aliàs quâ claruerunt virtus,
vel eburneîs invehebat curribûs, vel manibûs
ovantis importabat populi.

 Tu verò

Tu verò

Princeps Celsissime,

Præsulei Sacrarium dum ingrederis Honoris,
Sacerrimum quoddam omnium probitatum Augustal,
& amplissimum in Te solo visendum exhibes Panthèòn.
Ad Regum Basilicam, ad Sanctorum Regiam,
non unam alteramvè Tecum defers virtutem,
non una alteravè Tecum altiùs ascendente ascendit,
sublimiùs progrediente, progreditur & ipsa celsiùs.
Omnes Tua magna conspirârunt in decora,
Omnes Tibi venerunt ab Alto, Tecum omnes,
ad Sacri Altum Honoris iteratò veniunt.
Omnes in Te culminant, & Tecum hodie ad primũ,
Præsuleæ in Polonia Dignitatis sublimantur Culmen.
Regalis omninò apparatus est,
quem Tibi Tuæ Virtutes formant.
Regalis comitatus, quem ipsæ componunt.
Regalis super Montes Vavelli coronatos Via,
quam illæ Sacris dignæ Coronis, pridem parârunt.
Tenes Princeps & Præsul Celsissime,
virtutes omnes compendiò, & unus omnium es Compendium.
Omnium numerîs virtutum, absolutum Compositum dici debes,
Ea in Te plenitudine convenisse videntur,
quâ conveniunt in Sole radii, in fonte rivi.
Nullam Te habere putâsses, nisi possedisses omnes.
Auream excellentissimo Tuo in animo invenerunt catenam,
Vastissimam sacerrimo in pectore Iliadem.
Talî catenâ omnes & singulæ retineri,
tali Iliade omnes compendiari & singulæ,
libentissimè elegerunt.

Theolo-

THEOLOGICÆ PRINCIPIS VIRTUTES.

Fides in Deum.

Selectiſſimam ſeriem & Cœleſte,
quibûs fulges MAGNE PRÆSUL Virtutum agmen,
Fides orditur & ducit.
Prima inter virtutes, primas ſibi juſtè vendicat.
Aliarum fundamentum & baſis, molem à ſe inchoari exigit.
Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

In Te Præſule Magno,

prima aliis eaq; apertiſſimè ſpectanda occurrit,
Cùm aliæ ipſo Tibi cum lacte affuſæ videantur,
affuſa hæc cum fonte aquæ, & lavacro vitæ.
Simul Tecum vivere cæpit, imò ut vivere inciperes fecit.
Vitam corporis ab Illuſtriſſima accepiſti Lucina,
vitam animæ à Fide, hanc á Gratia.
Lucem Mundi ingreſſus, ut Lumen ſuperius ſpectares,
Fides ad hoc mentis oculum aptabat.
Vagiebat Tecum in Cunis, & hic vagitus placebat Cœlo;
Alebatur Tecum, & Te Ipſum alebat;
Tecum nutriebatur, & Te nutriebat Infantem,
Cibô Sanctificantis gratiæ inviſibili.
Collactanea Tua, ſimul altrix Tua.
Creſcebat Tecum à Cunis, donec ad diſcretam venires ætatem,
Non aliter à Te avellenda, niſi ſeram poſt mortem.
ubi evacuabitur quod ex parte eſt,
poſtquam venerit quod perfectum eſt.
Huic Tu Præſul Optime Virtuti,
Virtutum omnium Matri, fonti, radici,
Cor, mentem, animum, imò totum Te dediſti,
Ut Deo & Cœlo totum redderes.

O Sanctiſ-

Sanctissimis hujus vinculis,
mancipari totus libentissimè voluisti.
Hujus in obsequium Tuum ultró captivâsti intellectum,
illó prorsûs Tuô meritô quô coram DEO nullum majus,
dum DEO Quem non vides, plùs credis, quàm Tibi Ipsi;
dum plenissima in libertate,
rationem ad eorum assensum cogis & adigis,
quæ omnem rationis exsuperant sensum.
Nullum fidei meritum, ubi ratio experimentum habet.
Æternæ effatô veritatis:
Beati qui non viderunt, & crediderunt.

Tu Princeps & Præsul Magne
in obscuro Fidei speculo invisibilem intueris DEUM,
& sic profiteris, acsi ad oculum videres.
Divina in ænigmate arcana audis,
nec Oedipos vocas ad solvenda, quibûs Te spontè alligâsti.
Lucernam in caliginoso loco lucentem sequeris,
& media in caligine minimè caligas.
Supremus in Præsulea Tua Cathedra Doctor,
totam Tuam in Magistra fide reposuisti Sapientiam.
Solus nil doces, nil docere præcipis, nisi quod illa docet.
Scutô ipsius munitus, præliaris bella Domini fortissimus.
Pro cultu DEI & Religione Orthodoxa, zelus invictissimus.
Exulta Fides, exulta Religio,
Ad defensionem vestram PRINCIPIS Aquila districtum,
at gladium Æliæ IPSE PRINCEPS gerit flammeum.
Cave superstitio cave Hæresis,
Fugite Harpyæ Sacrarum contemptrices Mensarum.
Time tibi Infanticida Infidelitas.
Excubat contra vos AQUILA,
PRINCEPS invigilat.

Spes

Spes Principis in Deum.

Rectam in DEUM Principis Fidem,
Spes in DEO stabilis è vestigio sequitur.
Mater Illa, hæc Filia;
Fons illa aureus, hæc aureus rivus.
Succedit Matri Filia, rivus è fonte illicò fluit.
Tam mater quàm filia, scopum eundem habet.
Tam fons, quàm rivus idem littus.
Tendit fides in DEUM, tendit & spes in DEUM.
Primam illa Veritatem,
hæc Bonitatem respicit primam.
Credit illa in Eum,
Qui nec falli potest, nec fallere,
sperat hæc in Eo,
Qui largus credentium Remunerator est.
Dicere cum Aquinate mavis:
Spes est excellentis appetitus boni, cum obtinendi fiducia.
Spes est tuta ac firma animæ anchora,
procedens usq; ad interiora velaminis.
Virtute hac,
Tu Princeps & Præsul optime,
Totus ad DEUM erigeris, Totus in DEO recumbis.
Quem fide invisibilem credis, spe olim videndum præstolaris.
Terrena Tua habitatio, desiderium est collium æternorum.
Mortalis vita, spes immortalis vitæ.
Expectatio nulla major, quàm beatitudinis futuræ,
Nullus appetitus fortior, quàm bonorum,
quæ DEUS præparavit diligentibus se.
Inter homines vivens, vitam cum DEO appetis.
Terras incolis, & ad Cælestia totus aspiras.
Viator es, & spe plena, jam dici potes Comprehensor.

 Virtu-

Virtute hac,
ceu firmiſſimâ ſuffultus anchorâ,
inter ſæculi turbines, minimè perturbaris,
inter vitæ mortalis fluctus, minimè fluctuas,
inter mundi procellas, minimè periclitaris,
inter Acroceraunia & Syrtes, minimè naufragaris.
Ubi nihil ſecurum eſt, Tu ſecurrimus es.
Ubi omnia lubrica, Tu ſolidiſſimo greſſu incedis.
Ubi omnia naufragiis plena, Tu integrô navigiô proveheris.
Præſentiens maris tempeſtatem Echinus,
adhærens vi tota lapidi fluctibus è fundo ejicitur nullis.
Refugi ſub alas matris pulli, illæſi à milvis ſervantur.
Columba ſub Porcydionis umbra, Draconem non timet,

Tu Princeps et Præſul optime,
toto ſpei pondere Chriſto Angulari Lapidi affixus,
plenâ cordis fiduciâ, ſalutiferam Illius amplectens Trabem,
certiſſimo ſub umbram alarum Magni DEI convolans,
in mari hoc magno, & ſpatioſo navibus,
nulla tempeſtate concuteris, nullo fluctu demergeris,
nulli caſui ſuccumbis, nullô periculô proſterneris,
nullum ad lapidem pedem Tuum offendis,
ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare potes,
& conculcare Leonem & Draconem.
Solidiſſima Tuo in DEO Altiſſimo ſpes,
facit dexteram Domini in omnibus Te confirmantem.
Illa ingentem negotiorum qua Regni, qua Eccleſiæ molem alleviat.
Laborum æſtus refrigerat, moleſtias dulcorat, difficilia facilitat.
Illa impoſſibilia plerumq; molimina poſsibilia facit.
Jactas curam Tuam

o Magne Princeps,
ſuper Dominum & viriliter agis.
Confidis in Domino, aſſumis pennas ut Aquila,
volas & non deficis.

Charitas Principis in Deum.

Huc Sacri Flamines
purissimas è focis Vestalium flammas,
congerite in rogos, conflate in incendia.
Flammea Præsulis in Deum Charitas,
triumphales quidem non postulat ignes,
at ipso jure meretur.
Ardeant ex æquo plaudentes flammæ,
ubi cor PRÆSULIS Divinis ignibus flammescit & ardet.
Splendescant visendæ Cælo & terris pyræ,
cùm Sacerrimus Antistes piissimas condit in pectore flammas.
Ipsa Æterna adhortatur Veritas:
Luceat lux vestra coram DEO & hominibus.
Præsulei lux operosissima amoris,
jam DEO suo inter abscondita cordis notissima,
quidni innotescat & hominibus?
Æthnam & Vesuvium in PRINCIPIS corde videas.
Fervescit Divini æstu amoris propè immenso.
Effunditur in charitatis incendia, Cælum ipsum tangentia.
Sacer est ignis, Divina flamma, quam corde fovet.
Ex Ipso Fonte Luminum hausta, in Fontem suum refluit.
A DEO Igne consumente derivata, in Ignem hunc
continuò fertur, nec illo consumitur.
Terminus illi & objectum DEUS & Proximus;
DEUS propter se dilectus,
Proximus propter DEUM.
Pabulum ipsa sibi, calore suo alitur, nutritur suo fervore.
Oculorum etiam rore, & piis lachrymis accenditur.
Vestalis flamma Romani Custos fuit Imperii.
Flamma Charitatis Divinæ, est Custos hujus Dominii,
quod sanctissimum PRINCEPS, in se Ipsum habet.

P Reve-

Revelat fides Præſuli, quæ ſciri non poſſunt,
alit ſpes iis quæ niſi à Deo haberi poſſunt, nec fallit.
Perficit utrumq; Divinus amor, conſumat Charitas.
Præter Deum fertur hac PRINCEPS etiã in proximũ,
at fertur in hunc non aliter, niſi propter DEUM.
Motus virtute PRÆSUL, à DEO ſibi infuſa,
effundit viſcera charitatis in hominem, quia eſt DEI plaſma.
Miſeretur ex animo cuicunq; miſerabili;
Adeſt ſuâ beneficentiâ omni indigenti.
Suffragatur conſiliô quem conſilii inopem videt.
Fert ſolatia afflictis, præſidia & protectionem oppreſſis.
Pleniſſima Paternæ charitatis correctione,
ſanat infirmum, conſolidat debilem, erigit alliſum,
Omigenæ quâ Sacerrimus ANTISTES præſtat perfectiõis,
Charitas vinculum eſt, ſit & Theologicarum
Virtutum in Eo Corona.

Cardinales Principis Virtutes.

Prudentia.

Deferte Principis Prudentiæ,
quibus Prudentum Nomina, Orbis aliquando detulit.
E Virtutibus hæc Cardinalibus una,
verè Cardinalis in PRÆSULE, quia eminentiſſima,
In numero illarũ prima, in PRINCIPE noſtro princeps,
primas nimirum partes nulli concedens.
Vis dicamnè quid Prudentia?
Eſt illa profectò Ethicis:
Diſcretio & Providentia futurorum.
Eſt animi lucerna & recta agendorum ratio.
Una in ſe videtur eſſe & dicitur,
at multa ſunt, ex quibus naſcitur, colligitur.

Præte-

Præteritorum aliàs recordatio.
ordinatio præſentium, futurorum meditatio,
trinæ Matres hanc aliarum matrem virtutum gignunt.
Ab his illa oleum poſcit, ut homini præluceat.
Ab his dirigi vult, ut eum in actionibus dirigat.
Ab his juvari, ut operi incumbentem ſuo adjuvet.
Ab his quæ datura eſt, ipſa præſidia ſumit.

Talibûs præſidiîs

Magne Præſul

inſtruxiſti illam ſufficientiſſimè,
providiſti de opportunis adjumentis perabundè,
antequam Tuis Rectricem præfeciſſes actionibus.

Invenit illa Princeps Celſiſſime in Te,
pleniſſimam & penè admirandam præteritorum ſcientiam.
Scipio Africanus ex Xenophontis,
Alexander Magnus ex Philiſti, Alphonſus ex Quinctii,
Carolus Quintus ex Tucididis Hiſtoria,
prudentiæ ſuæ deſumpſiſſe dogmata leguntur.

Princeps et Magne Præſul.

integram Tu Orbis Univerſi, Hiſtoriam,
compendio in animum collegiſti, & feliciſſimâ retines memoriâ.
In hoc ſpeculo vides res ab orbe condito geſtas.
Vides quid Antiquitas, quid remotiſſima egerat ætas.
Vides rerum aliquando actarum, ſeriem, ſucceſſus, eventus.
Elapſi jam pridem anni, ſæcula quæ effluxerunt,
non Tua effluunt è notitia, non elabuntur è memoria.
Unô prudentiſſimæ mentis oculô,
proſpectas præterita, quæ tamen Tibi ſunt præſentiſſima.
Proſpicis alterô & provides, ſeu procul vides futura.
Attendis diligenter ad ea, quæ jam non ſunt,
ut benè ſuccedant, quæ necdum ſunt.

Ultima præmittis primis,
incipis ab eo quod finis eſt.
Præfigis hunc deſtinato à Te operi maturrimè,
nec ullo in opere Tuo, optato unquam fruſtraris exitu.
Certiſſimus teli jactus quem prævolat oculus.
Viſu priùs metam attingit Sagittarius quàm arcu.
Fortunæ eſt non Prudentiæ, quod è deſtinato non venit.

Tu Princeps Celſiſſime,

Priùs in ſcopum attentos vibras oculos, quàm jaculum dirigas.
Priùs in meta es, quàm in ſemita.
Vides jam benè ea, quæ necdum egiſti,
Poſtquam ultima attigeris, regrederis demùm ad media.
Perpendis hæc, diſcutis, examinas, cum fine intento confers,
Nec quæ obvia fuerint eligis, ſed quæ opportuna;
Illius ſaniſſimo ſvaſu & conſilis Prudentiæ,
quâ prudens non projicit argenteum hamum, ut extrahat piſciculū,
nec aureum tendit cum Marco Antonio rete, ut Talpam capiat,
aciem quoq; chalybis aptiorem ad ſecandum judicat quàm auream.

Ita Tu Princeps Celſiſſime.

Tum demùm ad agendum progrederis, cum jam omnia egeris.
Felicem omnium operum facillimè exitum conſequeris,
Qui nullū incipis, priuſquā in lima prudentiæ abſolutū non fuerit.
Omnibus & ſingulis Tuis negotiis,
quia honeſtatem publicæ junctam utilitati præfigis,
omnia & ſingula laudabilem deducis ad finem.

Juſtitia Principis.

Non Jovis duntaxat, aſt Divæ etiā Aſtrææ,
Armigeram eſſe Principis Aquilam ſcito.
Gladium enimverò quem gerit,
& Jovi ad ferendas de Gigantibus Victorias,
& Sacræ Themidi, ad ſcelerum adminiſtrat vindicias.

Juſtitiæ

Justitiæ etiam
quæ in Præsule effulget maxima,
aliud Hieroglíphicum ne quæsieris,
Regum aliàs & Principum virtutem,
Regalis Ales, alituū Princeps optimè refert.
Gladium ad terrorem, alas ad tegendum extendens,
Vindicem Justitiam in Principe, & Tutricem indicat,
talem aliàs qualis esse ipsa exigit & debet.
nempè non sic rigida, ut simul non sit misericors,
nec sic misericors, ut penè non sit rigida.
Enim verò
Prior crudelitas est, posterior fatuitas.
Abieti simillima est Principis Justitia,
Rectissima inter arbores Abies, at simul mollissima.
Tenacem fundit liquorem, ast odorosum
curandis peridoneum vulneribus.
Quid quid animi rectitudo, & cordis bonitas dictat,
id solum Princeps Præsul decernit.
Tenacissimus æquitatis, clementiæ observantissimus.
Corripit ut curet, infligit pænam ut sanet.
Etiam dum gladium stringit, viscera plena misericordiæ habet.
Præsulea illius correptio sonat forinsecus terribiliter,
ast Paterna intus dilectio svaviter.
Quod est partium Præsulis Optimi,
arguit, increpat, obsecrat.
in omni patientia & lenitate.
Secundùm quod Psaltes Regius dicit:
profectò in Principe & Præsule nostro,
Misericordia & veritas obviaverunt sibi,
Justitia & Pax osculatæ sunt.
Nullum equidem judicium format,
quod justitiæ & simul apertæ non innitatur veritati.

Q Nullam

Nullam ſententiam dicit,
niſi causâ optimè cognitâ.
Fraus, dolus, perverſitas, fallacia,
procul eſte à PRINCIPIS Noſtri Areopago.
Solius hìc intaminatæ veritatis habetur Sacrarium.

Aſſidente Iſto Præſule pro Tribunali,
cave ne inſontem eſſe culpæ noxium dicas,
cave ne mutoni excogitatum ſalmonis imponas nomen,
ut innocens pro ſalmone muto in victimam cadat.
Studioſiſſimus adminiſtrandæ Juſtitiæ

Princeps Optimus & Præſul,

at non minùs vel ſervandæ vel reconciliandæ pacis.
Quod cujuslibet Judicis primùm intereſt;
Partes ad concordiam revocare,
principali PRINCEPS pro objecto habet.
Dat utramq; aurem audiendis partibus, cor & animum conciliandis.
Sinit ſe coram conteſtari lites, at odia deteſtatur.
Audit pacificus litigioſas contentiones, ne ampliùs
audiantur, de hoc tota Illius eſt contentio.

Sic prorsùs Principi Optimo,
Fructus Juſtitiæ ſeminatur in pace.
Svavis eſt vindicativa in Eo, placita cunctis diſtributiva.
Sive pænas ſceleri aſſignat, ſive virtuti præmia,
utrumq; ſic facit, ut ipſa faceret Juſtitia.
Pro meritorum porrò quantitate,
dum condignam merentibus elargitur mercedem,
dum pro Perſonarum qualitate diſtribuit Honores,
dum pro benefactorum, virtutis & ſcientiæ ratione;
Officia tradit, Titulos & Beneficia diſpenſat,
fortiſſimìs virtutem ad fortia ſtimulis urget,
quam emeritis præmiis coronat.

Forti-

Fortitudo Principis,

Non hic Milones Crotoniatæ,
non robustiſſimi Geryones gloriæ ſperate Theatrum.
Procul hinc illa virium robora,
quæ cum objectis ad luctas evocata belluis,
magnarum Urbium cruentârunt fora,
oculos ſpectantium terruerunt.
Excellentiſſimi Fortitudo animi,
quà Princeps Prœſul præpollet,
gratiſſimô Orbi viſenda ſpectaculô,
vectigalem in paginam venit.
Tantò hæc admirando corporum robore præſtantior,
quantò animus Divinæ particula auræ,
corpore ex vili gleba conflatili excellentior.
Laudatiſſima hujus Fortitudine,
Princeps Magnus & Præſul,
vicit hominum robuſtiſſimos, ſuperavit fortiſſimos.
Proſternere belluas, ingentia evellere robora,
multis hominum conceſſum, aſt admodùm paucis,
Aggredi magna, ſuſtinere ardua.
Poteſt utrumq; PRINCEPS, pro ſingulari magnanimitate.
Agit utrumq; invicta animi fortitudine:
Maximis rerum moliminibus parem animum gerit,
graviſſimis negotiis, pares humeros.
Aggreditur magna animoſus, ſuſtinet ardua invictus.
Modica plerumq; difficultas grandibus obſtitit auſibus,
& ingentes potuit eliſiſſe conatus.
Parvus obex grandem portam claudit, ne ingreſſus pateat.
Ingentia navigia remora, elephantes minima muſcula ſiſtit.
Modica ſpina Leonem detinet, ne procurrat,

Excellentiſſimo Principis animo
maxima quæq; rerum obſtacula, minima ſunt.
Altior eſt omnibûs, omnibûs eſt ſuperior.

Vincit quoſvis obices, impedimenta ſuperat.
Nulla Illi difficultas invicta, nulla inſuperabilis.
Tam facilè nodos Gordios ſolvit, ac labyrinthos pervadit.
Non terretur ingentibûs curîs, non moleſtiîs angitur.
Quoties pro bono communi agendum eſt;
dexter opus aggreditur, pergit interritus.
Nón gravatur onere, non fatigatur labore, non conficitur tædiô.
Suſcipit pericula ùt commoda, ſuffert damna ùt lucra.
Agit magnanimè, patienter, conſtanter, fortiter.

Temperantia Principis.

Virtus hæc Cardinalium ultima.
Fortitudine ipſa longè fortior, ac rarior.
Defuit etenim multis, quibus Fortitudo ſuperfuit.
Non viſa ùt plurimùm in illis, in quibus vis maxima videbatur.
Poterant plurimi majorem Orbem vincere, non item minorem.
Poterant Invictiſſimos ſuperare, at non ſe ipſos.
Poterant remotas ſubjugare gentes,
at non id, quod intra ipſos erat.
Nulla prorsùs victoria glorioſior,
aſt & difficilior nulla, quàm ſe ipſum vincere.
Uni hæc Temperantiæ propria,
Tibi Magne Princeps & Præſul peculiaris.
Eadem Illi & Tibi coram Orbe Triumphalia debentur.
Triumphat illa in Te, cùm ſolus triumphas de Te.
Submiſiſti Te illi liberè, ut erigeret Te ſuprà Te.
Reddidiſti illi Tui Dominium, fecit illa Te Dominum Tui.
Illius proinde imperio dum pares, nullis paſſionibus pares.
Illi dum obſequeris, dominaris Tibi, & liberrimus es.

Monar-

Monarchicum in Te Regnum hæc Virtus instituit.
Solum duntaxat intellectum Regem elegit.
Illi uni Sceptrum & Clavum tradidit.
Inferiores potentias, ancillas esse proclamavit.
Illis frænum reliquit, obsequium demandavit.
Absolutissimæ quoq; actuum Dominæ facilè persuasit,
ut spontè delecti Regis in obsequium iret,
nec exinde esse libera desineret.
Tali in Orbe Tuo Mycrocosmo Monarchia,
nihil pulchrius, ast simul nihil rarius.

Omnia in Te Magne Præsul Sereno Cælo,
omnia altissimæ sopiti maris simillima malaciæ,
omnia aliàs tranquilla, composita, pacata,
nihil verò turbidum, tempestuosum nihil.
Nullum placida in fronte fulgur, nullum in ore fulmen.
Animi imperio, libentes potentiæ parent.
Compositissimi sensus, nec jugum detrectant, nec obsequium.
Rex ipse Tuo in Regno animus,
præscriptîs à Temperantia legibûs ultrò teneri voluit.
Nunquam hinc illum prospera,
supra modum attollit fortuna, nunquam adversa dejicit.
Ipsæ prorsùs si in corpore viverent Intelligentiæ,
nec pacatiùs viverent, quàm PRÆSUL vivis, nec tranquilliùs.

Morales Principis Virtutes.

Sapientia Principis.

Post Cardinales PRÆSULIS Virtutes,
quæ Orbi cardines posuit, & illos movet, Sapientia venit.
Regum illam ævô suô Maximus,
omnibus prætulit thesauris, antepofuit divitiis,
& venerunt Illi cum ea omnia bona.

Princeps Celſiſſime,

Pretium hoc animorum inæſtimabile,

gemmam hanc mentium, & dotem maximam,
judiciô Tuô ſupra quœvis æſtimâſti pretia,
Tuô votô enixô & deſideriô ferventi,
ſupra quaſvis gazas appetiiſti & theſauros.

Hujus quâ præſtas pro aſſecutione Sapientiæ

enixum impendiſti ſtudium & curas omnes.
Primam illi litâſti ætatem, ut in Te primatum teneret,
juveniles conſecrâſti annos, ut Te ad Senacula formaret.

Ut olim maturuiſſet Tecum,

Artibus & Scientiis ex quibus còáleſcit,
Tua totus incubuiſti ab Adoleſcentia.

Eruditi lumen animi,

alieno multi expetunt à foco, ſapientiæ illis,
totus in eo profectus, ſi exteros duntaxat videant Soles,
ac ſi verò oculi eſſet ſapere non animi.

Princeps Celſiſſime,

Doctiſſimi Tu lucem animi, quæſiiſti domi,

inveniſti domi & collegiſti.
Omnibûs in Patria excultus Scientiîs,
dum Excellentiſſimum Nomen per aliena deferres Regna,
totum Tecum Literarum Regnum detuliſti.

Exteros reviſiſti Soles

pleniſſimo eruditi animi jam conſpicuus lumine.
Urbes, Regna, Provincias, priùs perſpectas habuiſti, quàm viſas.
Amplitudo earum, ſitus, diſtantia, magnificentia,
priùs Tuam veniebant in notiam, quam ipſæ in viſum & oculos.

Gentium proinde ubiq; & Regnorum,

non minùs gratô excipiebaris hoſpitiô quàm affectu.

Ubiq;

Ubiq; etenim

Solâ primò viſæ Perſonæ prudentiâ Hoſpes,
at verò politiâ, geniô, idiomate,
Indigena ubiq; videbaris, credebaris Concivis.
Videbant Te ſuum plurimæ Gentes Advenam,
nec Advenam dicebant,
ob quarum cultum & mores videbaris Verna.
Romæ Tibi PRINCEPS ſingularis fuerat mora,
at Tu Romæ magnus amor & ſvavis.
Orbîs illa & Urbium Domina,
excepit Te pro Illuſtriſſimi Tui dignitate Nominis,
ſuſpexit indolem ad quævis maxima natam,
advertit dotes Corporis & animi eximias,
obſervavit excellentia virtutum ornamenta,
Sacrîs olim Infulîs & Tiarîs digniſſima.
Romana coram Sapientia, habuit Tecum plauſus Polona
Politiſſima mens, cultiſſimi mores, laudes & encomia.
In quorumcunq; iviſti oculos, iviſti ſimul in affectus.
Appretiabant Te Virorum Maximi, æſtimabant Præſtantiſſimi.
In Sacerrimo illo Eminentiſſimorum Collegio,
eminens Tui audiebatur æſtimatio,
Spes futuræ & vaticinia non minora.
Iſta de Te Singularia,
quàm intimô concipiebat & formabat animô,
Eminentiſſimus Cardinalis,
J O A N N E S
A L B A N I,
modernus Regni Poloniæ Protector,
quàm gaudenti corde audiviſſe adimpleta
non ſatis habuit, niſi id & operâ ſuâ,
(*f*) conteſtatus recenter fuiſſet.

(*f*) *Sacram ad Epiſcopatum Crac: Principi in manus ſuas obtinuit, & Varſaviam expedivit.*

Tecum in Patria reduce,
ab Orbis Capite approbatam, æstimatam à Gentibus,
reducem politissimam Sapientiam Tuam,
gaudens vidit, lætabunda excepit Patria.
Lydius Ille ingeniorum Lapis,
Eminentissimus S.R.E. Cardinalis,
JOANNES LIPSCIVS,
Cracoviensis Episcopus,
In Te Princeps Celsissime,
excellentissima Sapientis animi decora
& Aquilinam versatissimæ mentis suspiciens aciem,
Aquilam Tuam lateri, Te Ipsum suo admovit cordi;
ad maxima quævis negotia Te manu dextera usus,
Infula hac, quam Ipse gessit, Tu modò geris,
jam protunc dignissimum edixerat.
Sapientissimo Tuo in ornamentum animo,
Vavellanæ imprimis concesserunt Coronæ,
mox prima Gnesnensis Cathedræ Prælatura,
Kiioviensis demùm Infula, felicissimô ad Craciam præludiô.
Secundâ hac, at inter Præsuleas in Polonia primâ,
Magna Tua ô Princeps coronatur Sapientia,
Purpuris ipsis & Galeris coronari,
quod quantocyùs optamus meritissima.
Triumphalis est Magne Præsul Sapientia Tua.
Nihil tersissimam ejus effugit speculam, evitat pupillam.
Lynce oculo fatorum nexus, & abstrusissima rimatur momenta.
Sudum vel nubilum ex crepusculo colligit, ex flore fructum.
Præscit quid serus vehat vesper, procellas ocyùs avertit.
Quâ viam infestum aliquid parat, festina prævenit,
validissimos consiliorum providentissima maturat obices.
Magno Tuo ex animo dat consilia ùt oracula.

Habet

Habet iſta in promptu promit ex tempore.
Dat ea Regi & Regno, Aulæ & Senatui,
rationum robore firmata, eloquii pondere valida,
Patriis innixa Legibus, excelſô limatiſſima judiciô,
Non invideas Delphis Tripodes Polonia.
In edecumata Præſulis noſtri Sapientia,
& tripodes habes & conſilii oracula.

Vigilantia Principis.

Sapientiæ altrix; Sapientiæ fit Comes.
Nunquam Sapientia in ſomnis venit, ſed vigiliis paratur.
Vigiliæ quoq; parùm proficiunt, ni ſapienter agantur.
Centum oculîs vigilabat Argus,
imprudenter vigil & oculos amiſit & caput.

Princeps Celſiſſime,
Multîs Sapientiam parâſti vigiliîs,
ut has demùm ſapienter duceres.
Nimirum,
ut non ſolius corporis aſt & animi,
attentiſſimô ad omnia oculô eſſes pervigil.
Sapiens eſt Tua Paſtoralis Vigilantia
Præſul Optime.
Nec eludi ullatenus poteſt, nec ſopiri.
Bis oculatæ Tuæ vigilantiæ,
oculatiſſimam teſtem, præconem vocaliſſimam,
Kijovienſis agit Diœceſis.
Ovili illius diverſas in ſemitas acto,
delectus è Cœlo datusq; Paſtor,
præfuiſti vigilantiſſimè, invigilâſti ſapientiſſimè.
Oves quæ Chriſti & Tuam audiebant vocem,
ne à Chriſto & Te ſuo diſcederent Paſtore,
invigilabas huic attentiſſimè.

Illæ etiam quæ in aliam errabundæ discesserunt viam,
ut ad suum Pastorem, & unum redirent Ovile;
agebas id operabarisq; sapientissimè.
Vineæ profectò illi,
Pontificiæ Tuæ curæ à DEO commissæ,
quidnam Optimus PRÆSUL & Vigilantissimus non fecisti?
ut expectata, uvas daret non labruscas.

Tua circa illam solicitudine,
nulla pectori, nulla unquam animo Tuo major insederat.
Pastorales de illa curæ somnum Tuis eripiebant oculis.
Posuisti sepem ejus attentissimam Tuam vigilantiam,
Fidelissimum Custodem, Pastoralis cordis oculum.
Conduxisti probos, doctos, laboriosos Operarios,
qui eam plantarent, evellerent, colerent, purgarent,
Implantâsti ei bonos palmites, malos emendâsti.
Sancta virtutum & Timoris Divini inseruisti germina.
Amputâsti stolones, vitiorum lentes & vepres evulsisti.
Nulla viarum incommoda, nulla Te deterruerunt discrimina,
quin totam circumires & perspectissimus inviseres.

A Cathedrali itaq; Vlodimiriensi incipiendo Basilica,
magno labore peramplam visitâsti Diœcesim,
omnes in illa consecrâsti Ecclesias, decore suo providisti.

Veterem quoq; Kijoviensium Præsulum Sedem,
magnis adiisti sumptibus, exceptus ibi magnis plausibus.

Magni sub tempus Jubilei,

omne dierum pondus ferebas & æstum,
nec ipsi parcebas vitæ.
Continuas absolvebas vigilias, ingentes obibas labores.
Solus Verbi Divini Præco, solus Sacramentorum Minister,
ut innumera ovium Tuarum millia, in viam salutis reduceres,
ut traditas Tibi animas, DEO lucri faceres.

Pietas

Pietas Principis in Deum,
Fides in Regem, Amor in Patriam.

Unica hic in Ara,
triplici igne PRINCIPIS cor ardet.
Alius DEO, alius Regi, alius Sacer est Patriæ.

Quanta est PRÆSULIS in Deum Pietas?
Sentiunt Sacræ Aræ, nôrunt Divina Altaria,
Nullîs illa ignibûs magis ardent, quàm PRÆSULIS pietate ignea.
Nullo gratiùs thymiamate fumant, quàm Præsulei cordis.

Quanta in Deum PRÆSULIS Devotio?
Sciunt Divina Templa, Ædes, sciunt Oratoria.
Quæ prima totam PRÆSULIS occupavit mentem,
cor possedit & animum, DEI est Pietas.
Primo rerum Authori, Fonti bonorum primo,
totum se PRINCEPS dedit, totum obtulit.
Quod à DEO esse, vivere, & operari accepit, totum
DEI Gloriæ reddit & impendit perenni.
Excellentissima corporis sui, animi & fortunæ bona,
Honores, Dignitates, Sacros suos Ascensus,
magis esse DEI profitetur, quàm suos.
Nullus Præsuleo Illius in corde zelus ferventior,
quàm augendi Divini cultûs & gloriæ, devotionis propagandæ,
Omnî eam propagat studiô, & suô maximè exemplô.
Imminuit se coram Supremo Numine profundissimus.
Affunditur Divinis Altaribus supplex & prociduus.
Orat pro se DEUM & pro populo pientissimus.
Oratio Illius ad DEUM duplex est, altera oris, altera cordis.
Alloquitur sæpiùs DEUM sine loquela, precatur sine voce.
Et gratius est Illi verbum mentis, quàm oris.
Qui solus est mens purissima.

Quanta est PRINCIPIS Fides in Regem?
Novit Aula, Majestas, Orbis novit,
non solùm Polonus, ast integer Europeus.
Novit optimè AUGUSTUS III. Regum Optimus.
Norûnt Regii Principes Regnis dignissimi.
Novit tota Serenissima Regia Domus,
gestis Imperii Fascibûs à sæculis Augustissima,
ævô hôc Europæ Regna cognatione complexa,
Serenissima Propagatione utinam immortalis.
Tali & sic nota PRINCIPIS Fide,
non Aula, non Majestas candidiorem,
non Serenissimus AUGUSTUS III. certiorem,
non Principes, non Domus Regia sinceriorem,
nedum expectat, ast nec desiderat,
quâ non tantùm majorem, sed nec illi similem,
Orbis unquam Europeus vidisse potuit.
Sacerrimum Arcanum est,
illibata nostri PRÆSULIS Sacram in Majestatem Fides.
Vectigalis illam reverentissimè calamus habet,
scribere eam non præsumit, nec in paginam deducere.
Ipsa verò etiamsi,
nulla Orbi ex pagina, tamen ex se ipsa sufficienter constaret,
utpotè prudentissimis in consiliis spectata,
fidelissimis in obsequiis diutius comprobata,
in magnis, difficilibus perplexisq; manifestata negotiis,
acceptata Majestati, à Throno æstimata,
Regio Serenissimi Augusti cordi intimè accepta,
Post Kijoviensem, Cracoviensi coronata Infulâ,
supra Vavellanos Montes, honorificentissimè provecta,
Coronanda demùm Galeris, provehenda
supra Romuleos.

Quan-

Quantus PRINCIPIS in Patriam Amor?
Unico hoc omnes PRINCEPS complexus amores,
unico ſupergreſſus & ſuperavit omnes
Ipſa à natura inſita omnibus natalis Soli dilectio.
Vidit tamen aliquando Orbis & ſtupuit,
Nerones Romæ, Heroſtratos Epheſi incendiarios.

Principi Celſiſſimo;

Dilectione Patriæ ſolùm poſt Deum nulla major.
Suaviſſima ſunt Illi ejuſmodi charitatis vincula,
at ſimul arctiſſima ſunt & validiſſima.
Ligatur ipsis libentiſſimè, ſed tenetur fortiſſimè.

Quidquid PRINCIPIS eſt,
ſeu Virtus, ſeu Fortuna, ſeu Honor,
id omne cariſſimæ litavit Patriæ, & eſſe illius voluit.
In Tribunali Regni olim Vice-Præſidens,
Magnus adnunc Polona in Curia Senator,
exactiſſimâ inibi Juſtitiâ,
hìc verò exquiſitiſſimis excelſi animi conſiliis,
utrobiq; ſummo labore, operâ, curis ingentibûs,
ſuæ obſequebatur & obſequitur Patriæ.
Præcelſam qua pollet Sapientiam, illius utilitati,
opes quas à Majoribus accepit, Illius ſubſidio,
Honores ſuos Illius ornamento impendit.
Magnus pro Aris PRÆSUL, Senator pro Focis,
Totum ſe Diis Cælitibus, totum obtulit Penatibus.
Pleniſſima pietatis viſcera in DEUM,
pleniſſima charitatis effudit in Patriam.
Maxima Aquilæ Principi de nido cura,
Maxima PRINCIPIS ſua de Patria.
Litârunt olim aliqui Patriæ ſanguinem,
At vitam PRINCEPS integram litat.

Liberalitas Principis et Affabilitas.

Liberalior esset calamus in elogio,
ubi Magnus PRÆSUL Liberalissimus in beneficio.
At verò.
Libentiùs beneficia PRÆSUL Optimus præstat,
quàm ea præstita evulgari audit.
Nedum narrari, ast etiam nec videri, nec sciri,
beneficentissimam suam PRINCEPS liberalitatem vellet,
nullatenus tamen non videri potest, quam Cœlum videt.
Visenda est plurimis in locis & insignis,
Kijoviensi præsertim in Diæcesi,
in decem suis cum Templis neò erectis Pareciis,
in excitato inibi à fundamentis Seminario,
doteq; perenni sufficientissimè proviso,
in erecto magnificè Episcopali Palatio,
in ipso Episcopatu majoribûs aucto proventibûs,
sola in oculos incurrit, & sola aures hominum implet.
Augustiore eoq; Sacro jubare fulget
in gratiosissima æquè ac Miraculosissima
Augustissimæ Cœli Terræq; REGINÆ,
Thaumaturga Berdyczoviensi Imagine,
Cui pretiosissimas ac splendidissimas Coronas,
piissimô apud Urbem evicit studiô;
liberalissima in Deiparam Matrem pietate,
Solennissimum totâ Russiâ Coronationis celebravit Actum,
devotissimîs Kijoviensis Antistes manibûs,
Sacra Virgineo Capiti imposuit diademata.
Splendet inter Religiosas umbras,
inter Claustrorum silentia vocalis est.
Dum pauperum gemitus,
miserorum querelas imminuit, magis auditur.
Arcanam esse optabat PRINCEPS, nam Ipse est,
Grande liberalis Misericordiæ Arcanum.

Soli

Soli ſimillimum Principem Liberalitas fecit.
Incomparabilis Affabilitas, addidit aliquid ſupra ſolem.
Effundit ſuam in omnes beneficentiam, ſicut Sol radios.
Allucet ſicut Sol æquè Montibus ac collibus.
Præſuleæ verò Majeſtatis fulgore,
nunquam intuentium lædit oculos, ſicut Sol lædit.
Pontificia Illius Purpura à congenito Purpuris colore aliena.
Fulget Sacerrimæ Dignitatis ſplendore, & neminem perſtringit,
Præſulei et Senatorii,
In maxima Honoris Luce,
mitiſſimum frontis benignæ jubar omnium oculis affundit.
Quam Peraugſtæ in Cunis Licinæ, primo cum lacte ſuxit,
eam in Summo culmine miram in omnes benevolentiam ſervat.
Celſiſſimo è Faſtigio etiam ad minimos ſe demittit,
etiam minimis humaniſſimè ſe communicat.
Nemini ſe negat, neminem ab acceſſu arcet, à conſpectu excludit.
Facillimam ad aures admiſſionem exhibet,
ad cor benignum ab auribus.
Aliîs profectò magnîs ſuis virtutibûs,
Superavit Princeps hominum maximos, at benignitate cordis,
affabilitate animi, Ipſos accedit ad Deos;
Quibus maximè peculiare eſt,
confugientes recipere, orantes audire, poſtulantibus benè facere.
Summa hæc in Magno Principe virtus,
Præſulearum ſit Summa & Compendium Virtutum.
Merita verò Præſulis ſigillatim ne quæras.
Quotquot inſinuatas Illius legiſti Virtutes,
tot ſingularia tot diſtincta merita habes,
Moritoria eſt quævis, & PRINCEPS unaquaq;
plurimùm meruit, & euſq; mereri non deſinit,
de Religione, Eccleſia, Patria,
de Rege, Regno, Civibus.

Jam ergò
Regio præstantissimarum Virtutum tramite,
Regali à Præcelso Sanguine, & Serenissima Affinitate; Via,
progredere Tuam ad Cathedram fortunatissimus,

MAGNE PRINCEPS,
PRÆSVL OPTIME.

Regum Urbs, Metropolis Regni,
Portas Tibi suas aperit, Cives & Populus corda,
submittit Coronatos libens Vavellus vertices,
Coronatorum Capitum Delicio.
Custodes SZCZEPANOVII Aquilæ,
quam præstolabantur lætantes excipiunt Tuam.
Regni Schola Universitas,
Affini Sceptris Principi,
sua maximam in venerationem componit,
Faventissimum Te Suum

CANCELLARIUM
devotissimô consalutat Studiô,
& Quem ad præsens,
inter publica gaudia & plausus,
Vavellanos spectat Ascendentem Montes,
quantocyùs in Quirinis videre
Culminantem exoptat.